In sylvis frondosis rarissime. Pileus in unico specimine hactenus a me reperto, non bene explicatus fuit, vix unc. 1 latus.

** *Pileo dimidiato subcarnoso aut membranaceo, stipite laterali aut nullo.*

18. *violaceus*, pileo sessili subtomentoso fuscescente, margine subtusque amoene violaceo.

Hab. ad vetustos *Alnorum* truncos, prope Dax (Gallia), sed parum communis species, quae ultra unciam lata est et versus pilei marginem linea semicirculari violacea picta, inferne vero tota et amoene violacea, sapore et odore grata. *Thore in litt.*

19. *candicans*, albus fuscescens, pileo membranaceo repando glabro, stipite tenuissimo excentrico, plicis rectis parallelis.

Helvella retiruga. *Sowerb. fung. t. 348.* (figurae duae, praesertim inferiores, cum nostro fungo conveniunt).

Hab. in Gallia et Anglia in turfosis, ad muscos, etiam ad stipulas crescens.

Unc. 1 plus minusve latus, forma subquadrangularis, substantia tener, pellucidus. Stipes ½ unc. longus, aequalis sed tenuis.

Obs. Plicae in meis speciminibus ut in veris Meruliis dispositae sunt, in figuris Sowerbeanis divaricatae, sat paucae pictae sunt; hinc ejus species magis ad sequentem, mihi dubiam speciem, pertinere videtur.

20. *retirugus*, suborbicularis vertice adnexus, ex albido fuscescens, margine repando, plicis subpaucis radiantibus.

Helvella *retiruga*, membranacea tenuissima verticalis subrotunda, supra laevis albo-cinerea, subtus reticulatim venosa subfuligineo-cinerea. *Bull. champ. 1. p. 289. t. 498. f. 1.*

In muscis aliisque vegetabilibus emortuis parasitica, quibus pagina superiore est affixus. Margo primum integer, dein varie fissus. *Bull.*

21. *uliginosus*, acaulis pallide fuscescens subrotundus tenuis glaber, vertice affixus, plicis subdistantibus strictis decurrentibus.

Hab. in Helvetia, in uliginosis ad muscos. *Schleich.*

Vix unc. latus, membranaceus, basi parum productus, nec tamen stipite donatus. Plicae angustae, non valde prominent, versus marginem pilei densiores et magis divisae, plus minusve tamen parallelae et dichotomae, nec reticulatae sunt.

22. *serotinus*, gregarius, pallide griseus, pileo membranaceo ruguloso opaco glabro, latere exciso, plicis nitidis, stipite verticali basi albo villoso.

Merulius muscigenus. *Syn. fung. p. 493.* Helvella dimidiata. *Bull. t. 498. f. 2.* (fig. non valde congruit).

In pluribus regionibus occurrit sero autumno, Nov. — Decemb., ad muscos, quibus villo suo denso adhaeret, nonnunquam in ipsa terra nuda crescit, sed situ semper erecto. Pileus, primo intuitu, integer apparet, tamen

uno latere cum stipite confluit, colore griseo-pallens, obsolete zonatus, substantia mollis, tenuis, latitudine ½ - 1 unc. Stipes ¼ unc. longus, sat crassus. Plicae simpliciter venosae, basi subobsoletae.

23. *lobatus*, horizontalis sessilis lobatus fuscus, venis ramosis anastomosantibus. *Fries Syst. Myc. p. 323.* (sub Canthar.)

Helvella membranacea. *Dicks. Bolt. t. 177. Flor. Dan. t. 1077.*

In paludosis montosis nascitur, vere, supra Hypna aut alios muscos. Stipes plane nullus, pileus tantum puncto laterali affixus est, latitudine unciali.

β. crenatus, sessilis subumbilicatus niveus, margine obsolete lobato-crenatus. — *Viborg-Holmsk. Fung. Dan. 2. p. 52. t. 28.*

Helvella membranacea.

Ab initio formam habet *Pezizae*, et stipite tenui instructus est. Margo plerumque crenatus et crispus. Color semper albus. *l. c.*

24. *crispus*, gregarius parvus subimbricatus, pileo coriaceo-carnoso tomentoso rufescente, margine porisque crispis albidis. *Syn. fung. p. 495. Ic. et Descr. fung. t. 8. f. 7. Decand. Flor. Gall. 2. p. 43.*

Merulius fagineus. *Schrad. Spicil. p. 127.* Colore albido tantum diversus.

Non equidem raro provenit ad ramos exsiccatos. Ab initio subpezizoideus, demum di-

midiatus, nonnullas solummodo lineas latus, sed durabilis est.

25. *alveolarius*, sordide albidus, pileo suborbiculari tenui, plicis anastomosantibus, stipite crasso brevi. *Decand. Flor. Gall. 6. p. 43.*

Hab. ad palos in vinetis Galliae meridionalis. Substantia est sicca et coriacea. Pileus sesquiuncialis. Plicae valde prominent et reticulatae, interstitiis profundis tubos immitantibus. *Decand.* An hujus generis?

26. *foliaceus*, stipitatus coriaceus glaber erectus liguliformis subfuscus, disco dimidiato obovato nervoso. *Holmsk. Fung. Dan. 2. p. 42. t. 23.* sub Peziza. †

Ambigua haec species in Dania ad terram crescit. Juvenilis corpusculum clavaeforme repraesentat, dein folii ad instar evolvitur, et formam habet ligulatam; aetate adulta hanc faciem non immutat; senescens vertice truncatus. Discus obovatus, planiusculus, tribus nervis eminentibus notatus. *loc. cit.*

27. *muscorum*, sessilis auriformis gelatinosus sordide rufescens, intus venis crispis. *Roth. in Usteri Annal. Botan. Fasc. 1. p. 10. t. 1. f. 4.* †

In Germania supra muscos in truncis quercinis sero autumno repertus (nec alibi denuo observatus). Glaber, fragilis, junior albidus, unc. latus, cyathiformis, mollis.

28. *tenellus*, acaulis subgelatinosus nigrescens, venis prominulis inaequalibus radiantibus. *Fries Syst. p. 325. Decand. Flor. Gall. 2. p. 132.*

Hab. in trabibus putridis. Minutus. Subtus fuscescens, dilutior. Venae inaequales, e centro divergentes. Cum Agarico *Pezizoide*, Nees in Nov. Act. Nat. Curios. V. 9. p. 249. t. 6. f. 18. similitudinem habere videtur.

29. *bryophilus*, candidus minutus, pileo membranaceo, postice porrecto stipitiformi affixo, plicis simpliciter ramosis bi-trifidis. *Syn. fung. p. 495. Obs. Myc. 1. p. 8. t. 3. f. 4.* (Agaricus).

Pusilla haec species praesertim in muscis nascitur; ex D. Fries quoque in Suecia ad terram et ad cornua boum reperta est, si omnino eadem sit. Pileus pubescens, cupulaeformis, in valde adultis horizontalis fit. Plicae ectae, radiatae, magis lamellas Agaricorum sistunt.

30. *cupularis*, minutissimus verticalis griseus, versus marginem plicis strictis simplicibus. *Fries Syst. 1. p. 325. Wahlenb. Flor. Lappon. p. 530. t. 30. f. 6.*

Cresc. in Suecia in Ligno Salicis *phylicifoliae*. Vix magnitudine seminis Cannabini; junior pustulaeformis, disco dein magis dilatato cupulaeformis evadit, tandem reflectitur, bysso albido adnexus. Plicae in medio evanescunt. *Fries.*

Species melius investigandae.

* *pseudocantharellus*, subgregarius obscure flavus, pileo subtenui applanato, plicis densis simpliciter dichotomis, stipite sublongo tenui.

Agaricus subcantharellus. *Sowerb. t. 413.*

Hab. autumno, in Angliae sylvis.

Stipes deorsum attenuatus, et 2-3 lin. modo crassus. Plicae lamelliformes, pro ratione latae, saltem magis prominent, quam in M. *cantharello;* interea parum inter se anastomisant. Pileus (ex icone) vix carnosus, neque depressus: intus flavescens, latitudine 2 - 3 - unciali. Odor (secundum auctorem) ingratus, species hinc nociva, saltem non esculenta videtur.

* *turfosus*, gregarius parvulus candicans, pileo hemisphaerico, plicis rectis apice furcatis: minoribus simplicibus intermixtis, stipite sublongo.

Ex D. Mougeotii observatione, in Vogesorum turfosis frequens crescit fungus hic vernalis, Agarici speciem primo intuitu referens. Pileo non lato gaudet, tri- vel quadrilineari, substantia carnosula. Stipes unc. 1, ad 1½ altus, sed parum tenuis, lin. 1 crassus. Plicae fere lamelliformes, strictae, tamen subcrassae, inter se parum distant, apice simpliciter dichotomae, inter quas vero quomodo hoc in Agaricis obtinet, in nonnullis simul adsunt, in pilei ambitu, aliquae simplices et breves. Color ubique est albus, in fungo exsiccato, pro more, pallescit.

LXX. Xylomyzon. *Pileus* resupinatus, effusus, coriaceus, aut coriaceo - tomentosus, passim subtremellosus. *Plicae* (sinuli, cellulae) idiogeneae (ex substantia propria forma-

tae), sinuoso-porosae, compositae. (*Color plerumque carneus aut rufo-carneus?*).

1. *destruens*, latissimum flavo-rubrum, demum ferrugineo-pulveraceum, margine lato albido-tomentoso, cellulis amplis poroso-sinuatis.

Merulius. *Syn. fung. p.* 496. *Decand. Flor. Gall.* 2. *p.* 132.

Boletus lacrymans. *Wulf. in Misc. Austr.* 2. *p.* 111. *t.* 8. *f.* 2. *Sowerb. t.* 113.

Merulius lacrimans. *Fries Syst.* 1. *p.* 328. (exclusa var. β.)

Nascitur in aedificiis et locis domesticis humoti expositis, ligna et contabulationes emolliendo destruens; fungus adultus latitudine saepe spithamea, fascia marginali byssoideo nivea distinctus, guttulas aqueas copiosas exsudans. Plicae amplae, subquadrangulares aut rotundo-flexuosae, margine saepius exasperatae. Subiculum tenue, membranaceum, albidum, ab initio byssoideum. Odor ingratus, praesertim in exsiccatis.

Obs. Ab hoc ut species non differre videtur, Merulius vastator *Tode. Syn. fung. p.* 497., iisdem in locis crescens, hinc inde solummodo tuberculis caulescentibus aggregatis diversus, confer *Beauvois in Journal Botanique*, 1813. *vol.* 3. *p.* 12. Etiam Sowerbeus prominentias botryoideas in X. *destruente* observavit; *vid.* ejus descript. Bol. Fibulae. *vol.* 3. *t.* 387. *f.* 8.

α. Passim quoque occurrit in cellis varietas multo *minor* (vix 2-3 uncialis), orbicularis, tota fere uniformis et coriaceo-membranacea. Sequentes tamen loco natali quoque differentes, plus quam merae varietates videntur, a me ipso tamen nondum visae.

β. *aurantiacum*, longitudinale molle aurantiacum, absque (?) fascia marginali.

Merulius byssinus. *Scop. Fung. subterr. p. 102. t. 19.*

Hab. in fodinis. Latitudo tres circiter uncias, et longitudo 5-6 habet; inferna ejus facies rugulis innumeris minutissimis instructa. *Scop.*

γ. *muscigenum*, dimidiatum horizontale, pileo hymeniique margine sordide albo, plicis ferrugineis.

Merulius destruens β. muscigenus. *Consp. fung. p.* 236. — In Marchantia *polymorpha*, loco humente, versus medium Octobrem inventus. Plicae structura, et color cum prima specie conveniunt. Species propria?

δ. *varicosum*, suborbiculare margine tuberculoso, intus varicoso, subtomentoso albo, plicis paralleliter connexis inaequalibus flavo-ferrugineis. — Merulius lacrymans. *Schum. Flor. Saelland. p.* 371.

In Dania, sub *dio* ad asseres et trabes, locis humidis. Aestate et Autumno, 4-5 unc. latus, lacrymans.

2. *pelliceum*, submagnum interrupte effusum, flavo-rubens, margine villosum, plicis irregularibus minoribus glabris (?).

Boletus arboreus. *Sowerb. fung.* 3. *p.* 346.

Ad Salices putrescentes, aliquando etiam ad truncos quercinos nascitur, in Anglia. Parum irregulare, forsan ob inaequalem corticis aut ligni subjacentis superficiem, latitudine plerumque palmari. Coelo pluvioso, fere tremellosum est; sicco, corneum. Hanc aliamve ob rationem a H. *destruente*, hunc fungum diversum puto.

3. *solare*, effusum aureum, margine villosum, venis crispis gyroso-plicatis. †

Merulius vastator. *Fries Syst.* 1. *p.* 329. (exclus. synon. ?)

β. epiphyllum, tenuissimum, glabrum, colore dilutiore. *Fries Obs. Mycol.* 1. *p.* 100. sub Merulio.

γ. Crucibulum, pileo verticali cupulaeformi carnoso albo-flavescente, intus venis luteis ramosis. *Fries l. c.*

Crescit sub dio in Suecia et Dania, *α.* in ligno pineo putrescente; *β.* supra folia *Syringae* vulgaris, loco umbroso lectum, et *γ.* inferne ad poros Polypori *igniarii*, etiam in lignis repertum.

Colore laetissimo mox dignoscitur. E centro tubercula caulescentia *subinde* exserit. Odor plerumque ingratus, sed etiam *nullus*. Priore

specie etiam, minor, 1 - 2 unc. latus, margine tenui sicco pubescente. Plicae versus pilei peripheriam subgranulatae. *Schum.*

4. *Molluscum*, tenue, colore carneum, margine byssino albo, plicis poroso-gyrosis. *Fries l. c. p.* 329. sub Merulio.

Lignis prostratis abietinis laxe adhaeret, sporulis *albis* (pulveraceis?) facile a *destruente* seu *lacrymante* dignoscitur. Substantia siccum, subtus villoso-album. Plicae subtuberculosae. Color fulvo-carneus, subaurantiacus. *Fries.*

5. *versicolor*, mollissimum plerumque violaceo-lilacinum, subtus fibroso-sericeum, plicis demum gyrosis subolivaceis. *Fries Obs.* 2. *p.* 238. Merul. Himantioides.)

Cum priore et in eodem tempore (Jul. — Nov.) occurrit, sed totus bombycinus, etiam variat colore griseo-violaceo, sordide luteo etc. Plicae juniores poriformes.

6. *tremellosum*, effuso-reflexum subimbricatum coriaceo-tremellosum, pileo tomentoso-albo, plicis parvis gyroso-poriformibus rubicundis. *Syn. fung. p.* 496. *Fries Syst. p.* 327. *Flor. Dan. t.* 1553. sub Merulio.

Agaricus betulinus. *Wulfen. Coll. Austr.* 1. *p.* 358. *Flor. Dan. t.* 776. *f.* 1.

Sero autumno diversis in regionibus, ad truncos caesos invenitur. Ab initio, totum est resupinatum, adultum horizontale-reflexum,

nonnunquam a pluribus plicis s. lobis imbricatum. Aliquando vidi hymenium totum fere laeve et sulcis modo exaratum, plerumque tamen e poris densis, subcompressis, margine acutis, efformatum invenitur.

Obs. Auricularia *papyrina*, pileo zonis griseis? variegato, ab initio cupulaeformi verticali. *Sowerb. t. 349.* varietas videtur; sed Auricularia papyracea. *Bull. t. 462.*, quam auctor citat, a sequenti non differre videtur.

7. *serpens*, coriaceo - membranaceum elongatum glabrum flavo - rubescens, subtus primo laeve, dein plicis subobsoletis rugiformibus distinctum. *Syn. fung. p. 497. Fries Syst. 1. p. 327.* Merulius.

Hab. in Germania, Suecia et Gallia ad sepimenta, etiam ad ligna pinea reperitur. Species sat pulchra, vittas seu taenias aemulans, a matrice facile solvendas, vix ½ unc. lata, sed nonnunquam spitham. longa est. *Thelephoris* videtur affinis, tam ob crescendi modum, quam ob hymenium: aetate juvenili enim omnino laevis est. Plicae variae superficiales, margine obtuso latiusculo a ceteris speciebus distinctae. Adest varietas tota *alba*.

8. *rufum*, carneo - rufum cartilagineo - membranaceum glabrum, plicis oblongis obliquis laceris. *Syn. fung. p. 498. Fries Syst. p. 327.* †

Ad ligna *Fagi*, *Carpini*. Plicae decum-

bentes, porosae, praesertim in statu vegeto. *Fries.*

9. *pulchrum*, subtenue rufo-carneum, margine tomentoso albo-pallescente cinctum, plicis rectis integerrimis regularibus. *Tab. XIV. Fig. 1.*

Rarius in cortice abietino provenit circa Neuchatel. Carnoso-membranaceum, eleganter albo-marginatum. Osculi regulares.

10. *taxicola*, rufo-fuscum subumbrinum opacum immarginatum, plicis prolongatis teretiusculis subtubulosis. *Tab. XIV. Fig. 4 et 5.*

Hab. ad truncos Taxi baccati. *Chaillet.*

Colore et habitu cum plerisque congeneribus convenit, sed plicae fere tubulosae sunt osculis teretibus angustis subobliquis instructae. Substantia coriaceo-carnosa est, color forsitan non ita obscurus est in speciminibus vegetis, qualis hic depictus.

11. *Porioides*, adnatum, margine byssino albo, plicis poriformibus flavo-sordidis. *Fries p. 329.*

In Sueciae sylvis abiegnis ad ramulos dejectos *Betulae*, *Alni*, *Abietis*, autumno.

Fungus junior totus albus, villosus, dein sordide flavus, reticulatus venosus: sinubus subporiformibus linearibus flexuosis, margine byssino subfimbriato albo. *Fries Obs. Mycol. 2. p. 238.*

12. *iso-*

12. *isoporum*, longitudinaliter effusum, tenue rufo-carneum, margine repando angusto subbyssino (rarius fimbriato) gilvo, plicis densis majusculis regularibus, minoribus intermixtis, exterioribus subreticulatis. *Tab. XVI. Fig. 1 et 2.*

Rarius circa Parisios hanc speciem inveni, in ramis cortice denudatis nascentem. Ligno arcte adhaeret, 3 unc. longa et 1 lata est.

Polyporum primo intuitu refert.

13. *croceum*, inaequaliter effusum molle flavo-croceum, margine byssino albo-pallido, plicis laxis late reticulatis, paucis obliquis nonnullis dentato-laceris. *Tab. XIV. Fig. 3.*

Repertum a D. *Chaillet* ad truncos abietinos.

Species sat difficile describenda, adulta omnino laevis est, dein profert plicas forma valde diversas in uno eodemque specimine, imo adsunt dentes seu appendiculae compressae, liberae, situ obliquae. Sequenti affinis, sed substantia magis laxa, magis byssoidea est, et plicae majore in copia praesto sunt.

14. *paucirugum*, flavo-brunnescens incrustans tenue, margine subvilloso-albicante, hymenio laeviusculo, plicis paucis latis transverse reticulatis superficialibus. *Tab. 14. Fig. 6.*

Hab. in Vogesia. *Mougeot.*

Ligno arcte adnatum, applanatum, inaequaliter et subinterrupte effusum, confluens,

colore crustalinum. Hymenium ab initio omnino laeve, deinde hinc inde (nonnunquam in tota superficie) profert plicas laxas, aegre dignoscendas, formaque varias, dilatatas.

15. *crustosum*, late effusum totum glabrum fusco-pallens crustaeforme, plicis porosis inaequalibus compressis parvis, margine acutis.

Hab. in summo montis Jurae ad truncos abietinos, terrae incumbentes.

Ad *Polyporos* (Porias) transitum efficit. Plicae tamen compositae et facie congenerum sunt; sed color differt et substantia est sicca; placentae in formam ita effusum, tanquam si antea liquidum fuisset; ligno arcte adnatum est; inferne videtur albicans et pro more byssoideum. Hinc inde adsunt tubercula sat magna.

†† Porodermei. *Pileus* forma et substantia varius. *Hymenium* porosum et tubulosum. Tubuli quidem dense approximati, singuli vero segregati possunt pariete proprio seu tunica eos constituente gaudentes, nec, uti in favis apium, cellulas secum unitas efformant. Hoc perspicuum est in *Suillis* Mich. (nunc genere *Boleto*) ubi tubi laxius secum cohaerent, qui in *Hypodri* (*Fistulina* Bull.) inter se distant. In speciebus vero coriaceis et suberosis (generis *Polypori*), substantia pilei plus minusve alte inter unumquemque tubum penetrat, et cum iis connata est, quare stratum porosum, non uti in Boletis, a pileo sejungi potest. Hinc tales tubi ex hymenio, seu parte propria formati *idiogenei*, nec cum pileo *homogenei* sunt. In speciebus simplicissimis interea multa hac in re

obvenit aberratio, quae accuratius observari meretur.

LXXI. Polyporus. *Pileus* coriaceus, aut suberosus (membranaceus et byssinus in simplicissimis.) Stratum porosum cum pileo connatum. *Pori* integri plerisque.

† Platyporus. (*Favolus* Beauv.) *Pileus* plerumque dimidiatus. *Pori* ampli, subangulati, favoginei.

1. *gallicus*, effuso-reflexus fuscescente-fuligineus, pileo strigoso-squamoso, poris amplis. *Fries Syst. 1. p. 345. Nees Syst. t. f. 222.*

Boletus *Favus*, sessilis subrecutito-setaceus zonatus fuligineo-fuscescens, tubis elongatis latissimis subfuligineis, apum favum imitantibus. *Bull. champ. p. 363. t. 421.* excl. Linnaei synonymo?

Truncis arborum emortuarum, plerumque trabibus *Pini*, locis humidis innascitur. Bull. Quantum scio, ab aliis botanicis denuo nondum inventus est.

2. *Mori*, sessilis, pileo planiusculo glabro luteo; poris hexagonis. *Fries l. c. p. 344.*

Hexagonia Mori *). *Pollinii Plant. Veronens. p. 35. f. 3.*

*) *Hexagonia.* Pileus subtus in cellulas hexagonas exfossus. *Pollini*, l. c. — Regiones exo-

In Italia ad truncos et ramos Mori *albae* languentis nascitur initio autumni. Pileus dimidiatus substipitatus? margine repandus, latitudine fere triunciali.

3. *Michelii*, subcespitosus candidus, pileo carnoso laevi, poris oblongis amplis, stipite glabro laterali. *Fries p. 345. Mich. gen. pl. p. 120. no. 8. t. 61. f. 2.*

Ex territorio Scandicci, mense Junio, Michelius habuit. An terrestris? Forma triqueter, 3 unc. fere magnus. Stipes sat crassus, ultra unc. longus, erectus? *Ex ic.*

4. *arcularius*, parvus subgregarius, pileo integerrimo hemisphaerico ex spadiceo rufo, ad oras piloso, subtus albo, poris rhomboideis. *Michel. l. c. p. 130. t. 70. f. 5.* Boletus. *Batsch, Syn. fung. p. 518. Schrad. Spicil. Flor. Germ. p. 153.* B. exasperatus.

Nascitur in Germaniae et Italiae truncis, vere. Stipes vix unc. altus, attenuatus, apice pil. concolor. Pileus ½ unc. latus, umbilicatus?

5. *tessulatus*, submagnus cinereus, pileo campanulato rimoso-tessulato aut reticulato, stipite squamis acutis erectis exasperato. *Fries p. 342. Mich. p. 130. t. 71. f. 2.*

Species est subalpina in Europa australi

---

ticae majorem hujus tribus fungorum numerum alunt.

proveniens, magnitudine et forma Boleto *scabro* similis, sed poris amplis, subtetragonis, non secedentibus diversa.

6. *Pes Caprae*, gregarius, pileo dimidiato et subintegro fuscescente-badio, demum tessulato, poris magnis acutis stipiteque ventricoso lutescente-albidis. — *Traité sur les Champ. comest. p. 241. t. 5.*

Hab. in pinetis ad terram in Vogesia. Stipes lateralis, 2-3 unc. longus, 1½ crassus, glaber, laevis, flavescens passim divisus. Pori subinaequales, in stipitem quidem decurrunt, sed ibi evanidi, superficiales. Pileus juniorum integer, obsolete squarrosus: squamis tessellatis; adultus 3 ad 5 unc. latus.

7. *scobinaceus*, pileo carnoso fusco-ferrugineo aspero, poris albis senescendo lutescentibus favogineis, stipite laterali crasso basi attenuato. *Cumino, in Act. Taurin. 1805.*

Cresc., autumno, in ericetis et castanearum sylvis, ad semitas. Edulis, sale inspersus servatus. Ab alpicolis vallis Sisii, ubi provenit haec species, *Gusparin* nuncupatus. *Cumino.*

8. *taurinus*, pileo subcarnoso glabro dilatato rufo-cinnamomeo, poris magnis tenuibus cinnamomeis, stipite laevi, pil. concolore.

Hab. in collinis Pedemontanis prope Taurinum sub Betula Alno. *Balbis.*

Pileus latus, palmaris, medio satis cras-

sus, substantia molliuscula. Tubi 1 - 2 lin. longi, pori lin. 1 fere lati. Stipes 2 unc. fere longus, 4 - 5 lin. crassus.

Obs. Descriptio ex specimine sicco adumbrata est, hinc ulterius indagandum, an hujus aut *Boleti* species sit.

9. *Juglandis*, magnus, solitarius aut subimbricatus, pileo coriaceo submolli flavescente, squamis obscurioribus subnigrescentibus, poris magnis flexuosis, stipite laterali nigrescente. *Syn. fung. p. 521.* B. platyporus.

Polyporus squamosus. *Fries Syst. 1. p. 343.* Boletus. *Huds. Bolt. t. 77. Flor. Dan. t. 1196.* B. Juglandis. *Bull. t. 19. Schaeff. t. 101 et 102.*

β *rangiferinus*, stipite difformi ramoso, saepius sterili. *Bolt. fung. t. 138. Sowerb. t.* *Blackst. Specim. botanic. p. 2. t. 1.*

Super truncum Ulmi, Fraxini, Tiliae, Salicis, Aesculi, plerumque vero *Juglandis* gignitur, et β. in cellis et subterraneis passim occurrit.

Pileus solitarius aut imbricatus, fulvescens, squamis obscurioribus et subrevolutis squarrosus, carne nivea compacta, odore forti. Pori albi, lutescunt. Stipes crassus, nigricans, saepius quoque squamis rufidis obtectus. — Specimen junius, pil. integerrimo et stipite centrali gaudens, in *Tab.* citata Sowerb. depictum est.

†† Microporus. *Beauv.* *Pori* subrotundi, parvi, seu magnitudine communi.

§ Pileo integerrimo subcarnoso, stipite centrali.

** Substantia molliori.*

10\. *subsquamosus*, pileo carnoso lento albido plerumque diffracto squamoso, poris flexuosis niveis, stipite obeso. *Fries Syst. p. 346. Jacq. Coll. Austr. 1. p. 342. Syn. fung. p. 514.* B. carinthiacus.

In pinetis montosis autumno. Pileus compactus, inaequalis. Tubi vix ulli. Pori exigui. Stipes albidus vel cinerascens, ½ - 1 unc. altus et crassus. *Fr.*

β. repandus, pileo cinereo fibrilloso, poris subrotundis. *Fries l. c.* cum priore.

Obs. Auctor ut synonymon allegavit sequentem Michelii fungum, qui vero secundum brevem descriptionem et figuras totus glaber est:

* Polyporus (*compactus*) esculentus, ex griseo et obscuro nigricans, inferne albus et tenuissime porosus, pediculo pil. concolore. *Mich. Gen. pl. p. 131. t. 70. f. 2.* — Octobri, in ericetis Juguli et Montis Boni. Tubi vix ulli.

* Polyporus (*scoparius*) esculentus, pileo desuper obscuro, inferne tenuissime poroso et albo, pedic. pileo concolore. *Mich. p. 130. t. 70. f. 3.* — Autumn. in ericetis et inter

scopas provenit. Formam magis evolutam sistit. Stip. sublongus.

11. *leucomelas*, parvus, pileo carnoso glabro subtenui stipiteque nigrescentibus, poris candidis. *Syn. fung. p. 515.*

In Hercyniae *pinetis* valde raro provenit. Specimen ibi inventum, 1½-2 latum erat, vix 3 lin. crassum. Pori parum descendunt, sat magni, praesertim ad pilei marginem. Stipes ½ unc. aut ¾ longus, 3-4 lin. crassus.

12. *ovinus*, gregarius, pileo carnoso fragili albido, poris subrotundis albo-citrinis; stipite brevi inaequali. *Fries l. c. Schaeff. t. 121 — 122. Flor. Dan. t. 1618. Nees Syst. t. . f. 210.*

Boletus albidus. *Syn. fung. p. 515. Obs. Mycol. 1. p. 84.*

Hab. in Suecoiae et Germaniae pinetis montosis.

Agaricum quemdam e longinquo simulat. Valde fragilis. Stipes brevis, crassus, inaequalis quoad situm et formam. Pileus etiam colore subvariabilis, aëre sicco saepe rimosus.

13. *Tuberaster*, pileo carnoso flavescente, poris subrotundis, majusculis subdecurrentibus albidis, stipite pil. concolore, radice ingente cum terra compacta.

Boletus. — Syn. fung. p. 514. Jacq. Coll. Suppl. t. 8 et 9. Mich. Gen. p. 131. t. 71. f. 2. (junior). Batar. fung. p. 59. t. 24. a. (adultus).

Hab. in Regno Neapolitano et in Pontificatus finibus. Hinc inde quoque colitur.

Radix hujus plantae est ampla, perennis et instar Spongiae perforata, tenaciter implicat terram et quaecunque fragmenta lapid. lignor. carb. etc., in ipsa reperiuntur. Ex hac singulis mensibus producuntur fungi, primum vitulini cornu similes, qui sensim in apice intumescunt et in pileolum abeunt, superne rufescentem, inferne cum pediculo album. *Mich.*

Obs. Forsan sub hoc nomine duae existunt species, aut saltem varietates notabiles. Ex Calabria a D. Thomas sub hoc nomine accepi fungum, qui major est, et pileum glabrum convexum cum stipite flavo-fulvum s. crustalinum habet.

14. *viscosus*, gregarius totus rufo-badius, pileo carnoso glabro viscoso, poris majusculis subirregularibus, stipite tenui subbrevi.

Hab. in Gallia, prope Pontivy. *D. Cauvin.*

Stipes 1¼ unc. longus, 2 lin. et ultra crassus.

Pori satis magni, nec tamen favoginei, subdecurrunt. Pileus 2-3 unc. latus.

15. *cinnamomeus*, pileo fragili subinfundibuliformi villoso fulvo-cinnamomeo, poris angulatis. *Jacq. Coll.* 1. *p.* 116. *t.* 2. *Tratten. Fung. Austr. Fasc.* 3. *p.* 86. *t.* 8. *f.* 11.

Hab. in Austria. A P. *perenni* non diversum censet D. Friesius.

16. *ciliatus*, pileo lento glabro fuscescente, margine ciliato, poris subrotundis pallidis, stipite tenui glabro. *Fries Obs. Mycol.* 1. *p.* 123.

Hab. in Suecia et prope Neuchatel. Stipes uncialis fere et subradicatus, saepe flexuosus. Pori minutissimi, aequales. *Fr.*

17. *brumalis*, subparvus, pileo carnoso lento subumbilicato villoso fuligineo expallente, poris subangulatis albis, stipite pallido. *Fries Syst.* 1. *p.* 348. (cum synonymis).

Boletus. — *Syn. fung. p.* 517. B. lacteus. *Batsch el. fung. p.* 42. B. ciliatus. *Flor. Dan. t.* 1297.

Ad truncos praesertim *Fagi*, etiam ad terram humosam. Juvenilis Aug. — Octobr.; adultus hyeme; redivivus vere, in aestatem persistens. Firmus, proteus. Stipes hirsutus, squamulosus, raro glaber. Pileus junior fusco-fuligineus villosus, senescens glabriusculus, pallidus flavescens, cervinus. Pori primo oblongi, albi.

18. *fuligineus*, glaber, pileo carnoso cupulari fuligineo-cinereo, poris rotundis parvis albis, stipite pil. concolore dilutiore. *Syn. fung. p.* 516. *Bull. t.* 469. B. polyporus.

Hab. in Gallia, autumno in sylvis, saepius in hortis, ad terram; species tamen rara est. Caro mollis, tenuis, subcoriacea. Pori superficiales, minutissimi. Stipes deorsum subventricosus, ibique rutilans. *B.*

19. *melanopus*, pileo umbilicato tenui obscure fuligineo, poris pallescentibus, stipite tenui subcylindrico toto nigro. *Syn. fung. p.* 517. *Ic. pict. fung. Fasc. p.* 9. *t.* 4. *f.* 2.

Polyporus β. cyathoides. *Fries Syst.* 1. *p.* 348.

Ad ramulos dejectos in sylvaticis. Pileus 2 unc. latus, lin. 1 crassus, colore jam primum obscurus.

β. *infundibuliformis*, pileo carnoso infundibuliformi, ex albido fuliginoso, poris albidis, stipite deorsum incrassato nigrescente, apice dilutiore. *Syn. l. c. p.* 516. *Ic. pict. fung. p.* 8. *t.* 4. *f.* 1. *Decand. Flor. Gall.* 6. *p.* 42.

P. melanopus α. Infundibulum. *Fries p.* 347.

In sylvis frondosis, in graminosis, ad basin truncorum, passim. Major, subrigidus, ab initio albicans. Pori minuti, rotundi.

20. *ruber*, subterraneus, totus ruber. *Scopoli Pl. subterran. p.* 107. *t.* 30. *f.* 1. Boletus.

In *Pacherstollen*. Solitarius, totus ruber, glaber.

Pileus parvus, umbilicatus? Stipes longus. Hic fungus non degeneratus videtur et colore rubro, qui rarus in hoc genere, notabilis. Forma est regulari.

** *Coriacei, passim lignosi.*

21. *leptocephalus*, parvulus pileo plano tenui cervino subtus albo, stipite brevi pallido.

Syn. fung. p. 519. *Jacq. Misc. austr.* 1. p. 142. t. 12. *Dicks. Pl. cryptog.* 3. p. 21.

Passim occurrit ad ramulos exsiccatos. Stipes nunc centralis, nunc excentricus, uncialis. Pori minimi subrotundi, albi. Pileus subrepandus.

* *globularis*, parvus albus, pileo convexo hemisphaerico, stipite excentrico incurvo.

Polyporus exiguus coriaceus albus, ligno adnascens. *Mich. gen.* p. 130. t. 70. f. 7. — Solitarius.

Pileus ½ unc. latus. Pori albi? aut fusci?

22. *nummularius*, parvulus ex albido pallescens, pileo convexo-plano, stipite subexcentrico deorsum nigro. *Syn. fung. l. c. Bull.* p. 335. t. 124. *Dicks. l. c.* 1. p. 18.

Polyporus varius β. *Fries Syst. Myc.* 1. p. 353.

In sylvis ad ramos dejectos, sed minus frequens. Pileus subumbilicatus, magnitudine antecedentis. Amaricans ex Bulliard.

β. *clypealis*, major induratus, pileo subdepresso umbilicato alutaceo opaco, poris subdecurrentibus, stipite brevi, deorsum nigro.

Rarius ad truncos, in Gallia. Pileus 1½ unc. latus. Pori circa stipitem subtorulosi. Stipes subexcentricus, ½ unc. altus, 3 lin. crassus.

γ. *minimus*, minutissimus, pileo plano, subtus convexo, stipite centrali, deorsum nigro. *Fries Obs. Myc.* 1. p. 123.

In stipitibus *Filicum*, *Urticae*, locis umbrosis provenit. Pil. vix lin. latus, sed crassus, glaber, subnitens, junior albidus, demum flavescens. Pori pallidi. *Fr.* Infans?

Obs. Haec species Polyporo *vario* seu *calceolo* B. quidem affinis, sed pileo integerrimo, et stipite perpendiculari, plus minus centrali, basi ubique, nec uno latere, nigro, satis discrepare videtur.

23. *carbonarius*, cespitosus parvus, pileo umbilicato zonato nigricante, poris stipiteque albis. *Fries l. c. p. 349. Mich. gen. plant. p. 131. t. 70. f. 6.*

In Pistorensibus montibus, a Michelio inventus, areolis carbonariis innascens. Pulchella species videtur, sed cum sequente valde cognata. Pileus ⅓ unc. latus. Stipes brevissimus.

24. *perennis*, gregarius congrescens subferruginascens, pileo coriaceo-membranaceo zonato velutino, poris minutis, demum lacerus.

Boletus *coriaceus.* Schaeff. t. 125. Bull. t. 449. f. 2.

Boletus *fimbriatus.* Roth. Bull. t. 254. B. *perennis.* Lin. Flor. Dan. t. 1075. f. 1. B. *confluens.* Schum. Saelland. p. 378. (nomen praeferendum).

Satis communis in sylvis, aestate et autumno. Solitarius, gregarius, etiam circinnatim crescens. Stipes basi tumidus. Pileus tenuis, interdum (vetustate) fere glaber, cum vicino connascens.

†† *Pileis carnosis (in statu vegeto), plerumque numerosis, imbricatis, utplurimum dimidiatis, stipitibus ramosis centralibus, plerumque lateralibus, passim obsoletis. Poris decurrentibus.* (Fungi maximi, caespitosi).

25. *umbellatus*, ramosissimus, pileis integris umbilicatis fuscescentibus, poris stipiteque albis. *Fries Syst. Myc. 1. p. 355.*

Boletus umbellatus *Syn. fung. p. 519. Schaeff. t. 111.* B. ramosissimus. *Jacq. Flor. Austr. t. 172. Schaeff. t. 265 — 266.* B. polycephalus. *Syn. fung. p. 520.*

β. pileo fusco-ochraceo subrufo. *Fr.* Bol. ramosus. *Flor. Dan. t. 1197. Schum. Saell. p. 383.*

γ. pileo pallide luteo. *Barrel. ic. 1269.*

δ. totus albus (junior?) *Barr. ic. 1270.*

Autumno occurrit in sylvis frondosis, praesertim fagineis. Stipites ramosissimi. Pilei, ob numerum, parvi, majores repandi, passim fissi.

26. *frondosus*, ramosissimus, pileis dimidiatis imbricatis rugosis griseo-fuligineis, poris albis. *Fries l. c. Flor. Dan. t. 952. Schaeff. t. 27 — 29. Sowerb. t. 87.* (mediocris). B. elegans. *Bolt. t. 76?*

Terrestris ad radices quercuum annosarum.

Cespitem efficit altum et latitudine pedalem. Pilei quoque numerosi sunt, in stipitem porrecti et confluunt, juniores subtomentosi, colore obscuriores.

Obs. Pleo in *Melethemata*, p. 112. varietatis mentionem facit *albae*, gravitate insigni 40-50 librarum distinctae; haec Italiae incola diversam forsan constituit speciem.

27. *confluens*, ramosus, pileis dimidiatis laevibus carneo-rufescentibus, poris albidis. *Fries l. c. Consp. fungor. p. 244.* Boletus.

Hab. in Sueciae et Lusatiae pinetis montosis. Caespitosus, uti antecedens, sed pilei latiores sunt a 5 ad 6 unc. et lobati. Stipites pauciores, magis distincti, basi conjuncti. Pori subaequales, expallescunt. *Fr.*

* *pachypus*, subcespitosus subcarnosus minor, pileo integro glabro rutilante poris albis decurrentibus, stipite crasso brevi pil. concolore, basi subconnato.

Prope Neocomium in monte Jura provenit. In specimine bene conservato pileus est fere integer, et stipes magis centralis et crassissimus, unc. fere altus et ultra unc. 1 crassus. Tubi teneri, subdecurrunt: osculis parum laceris, praesertim in inferioribus. — Quamvis forma differat, statuere nequeo, secundum unum solum specimen, forsitan nondum adultum, an species aut varietas modo sit.

28. *giganteus*, imbricatus latissimus, pileo subzonato molli rivuloso spadiceo, stipite crasso horizontali, poris pallescentibus. *Syn. fung. p. 521. Fries p. 557.*

Bol. mesentericus. *Schaeff. t. 267.* Bol.

acanthoides. *Bull. t. 486.* B. imbricatus. *Sowerb. t. 86.*

In caespites latissimos, sed depressos, nonnunquam 2 spithamas latas supra truncos caesos crescit, autumno. Substantia mollis, carnosa. Pileus primo pallidus, dein brunneus, squamulis minutis rivulosus.

Obs. Nulla icon allegata fida est; etiam clavaria *aequivoca* Holmsk. Fung. Dan. 1. t. 13. hujus fungi status junior est.

29. *imbricatus*, multiplex subsessilis, pileis numerosis imbricatis latissimis luteo-fulvis, poris minutis pallidis. *Fries p. 557. Bull. p. 349. t. 366. Schum. Saell. p. 382.*

Boletus amaricans. *Syn. fung. p. 531.*

Provenit in Gallia, Dania et Suecia ad truncos vetustos *Quercuum et Fraxini.* Pilei latissimi, concrescentes, sinuati et undulati, passim stipitati, demum friabiles, carne alba, amara. Pori rufescunt et dein pileo concolores fiunt. *Fr.*

30. *laciniatus*, totus albidus coriaceo-carnosus, pileis subimbricatis incisis villosis, dein glabris, in stipitem subcentralem (?) cohaerentibus. — *Batarr. Fung. p. 66. t. 32. B.*

Radicem (caulem?) habet carnoso-coriaceam minutisque foraminulis perviam.

In varias expansiones (pileos) dividitur. Superne a centro expansionum usque ad earum dimidium totus villosus est, dein glaber. *B.*

31. *ci-*

31. *citrinus*, magnus carnosus subsessilis, pileis imbricatis glabris undulatis flavo-rubellis, poris citrinis aut sulphureis. *Syn. fung. p.524. Schaeff. t.131-132. Flor. Dan. t. 1019.* Bol. caudicinus.

Polyporus sulphureus. *Fries Syst. 1. p.3.* B. citrinus. *Bull. t.429.* (ic. nimis concinna). *Sowerb. t.135.*

Aestate et autumno ad truncos *Quercuum* et *Fagorum*, passim *Salicum* ac *Cerasorum*, ubi cespites plus minusve magnos protrudit. Ab initio aporus, succulentus, et albido-citrinus. Adultus magis ruber. Vetustus aut exsiccatus, fere friabilis fit, coloremque amittit. Domi asservatus saepius crystallulis acido-dulcibus obtegitur; vid. *Act. Soc. Linn. 8. p.262.*

β. speciosus, superne aureus, subtus luteus, pileis laciniatis in stipitem crassum subbrevem desinentibus. — *Bat. p.68. t.34. f.4.*

In sinu ingentis quercus, autumnali tempore olim a Batarra inventus, sesquipedem altitudine superans. Totus splendentis aurei coloris erat, glaber, eleganter in margine laciniatus et monticulis (?) ornatus, interneque subluteus. Forsitan species est distincta, etiam ob stipitis praesentiam, qui, ex icone, unc. 1 longus, et ½ unc. crassus est.

Obs. Boletus sulphureus. *Cumini, Mémoir. p.222.* fungus quoque diversus videtur, dicit enim auctor: "odor acris, sulphureo-

fungosus, color aureus, per exsiccationem, in subfulvo-cinereum, transit. Caro mollis, plus minusvè crassa, tubis concolor et ad pilei marginem attrita sanguinea fit."

32. *cristatus*, terrestris cespitosus, pileis carnosis difformibus subinvolutis virescentibus subtomentis, poris niveis, dilute sulphureis, stipite laterali albo. *Syn. fung. p. 522. Schaeff. t. 316-317. Fries, l. c. p. 357. Nees f. 217.*

Hab. in Germania et Vogesia in umbrosis. Habitu difformis, plerumque convoluto-connatus, 3-4 unc. latus. Pori primo albi, dein ochroleuci, ad tactum saepius virescunt.

33. *informis*, acaulis imbricatus laciniatus utrinque luteus. *Cumino in Mémoir. Taurin. p. 223. Batar. t. 37. f. G.* ex icon., descriptio vero non convenit.

Nascitur in rimis Fagi *Castaneae*, aestate. Tubi angusti, flavi sunt, sicut totus fungus, provecta aetate subfuscus, tactu nigro-virescit. *Cumino.*

Obs. Ob affinitatem, ut patet, cum antecedente etiam huic divisioni inserui hanc speciem, quamvis, ex auctore, acaulis sit.

§§§ Pileo carnoso aut carnoso-coriaceo simplice (minus imbricato) dimidiato, stipite laterali, interdum nullo.

34. *betulinus*, solitarius substipitatus, pileo convexo levi reniformi fuligineo-rufescen-

te, poris inaequalibus albis. *Syn. fung. p. 535. Bull. t. 312. Sowerb. t. 212. Flor. Dan. t. 1254.*

Variis in regionibus in truncis Betulae *albae* crescit, aestase. Ad majores pertinet. Quoad aetatem, forma variat: junior subovatus, parum mollis. Tubi, ex substantia propria, uti in plerisque speciebus, formati, in hac distinctius videre est.

35. *spumeus*, substipitatus albido-griseus, pileo carnoso rugoso convexo obtuso, dein hispido, poris curtis subrotundis. *Fries Syst. 1. p. 558. Sowerb. t. 211.*

Hab. in Gallia et Suecia, ad truncos *Fagi*, *Betulae*, *Ulmi*. Antecedenti affinis, sed parum difformis ex icone, ut fungum nondum bene evolutum dixeris. Junior mollis, dein firmior 3-4 uncialis. An pileus revera demum hispidus?

36. *candidus*, parvulus subgregarius albus, pileo carnoso convexo glabro, stipite brevi laterali. *Syn. fung. p. 524.* (Boletus) *Tab. XV. Fig. 4-5.*

Rarissime in Germania (prope Gottingam) repertus. Junior subreniformis, adultus interdum ex rotundo subquadrangularis, margine subrepando, stipite distincto trunco adnatus est. Pori minuti, aequales. Substantia mollis.

37. *varius*, *α. badius*, subimbricatus aut simplex, pileo coriaceo glabro laevi badio, po-

ris minutis pallidis, stipite laevi pallido basi abrupte nigro. — *Syn. fung. p. 523. Batsch El. Cont. 1. t. 25. f. 129.*

Polyporus varius, α. *Fries Syst. 1. p. 352.*

Boletus elegans. *Bull. t. 46.* B. aurantius. *Schaeff. t. 10.* (mala). B. nummularius. *Sow. t. 89.* (fig. majores.)

β. *Calceolus*, pileo pallide fuscescente subvirgato.

B. calceolus. *Bull. t. 360. et 445. f. 2. Schaeff. t. 109.*

γ. pileo ochraceo albido (juniore?). B. lateralis. *Bolt. fung. t. 83. Flor. Dan. t. 1075. f. b.*

Boletus varius. *Syn. fung. p. 513 - 514?*

δ. *lateritius*, gregarius sparsus, pileo ovali, primo albido, demum lateritio, poris regularibus albido-pallescentibus, stipite brevi horizontali. B. Calceolus. Bolt. append. t. 178. Ad truncos alneos lectus. 2 unc. longus.

γ. *convolutus*, pileo tenui latissimo fere spadiceo, utplurimum convoluto, stipite brevissimo.

Haecce varietas aut subspecies plerumque e trunco carioso *Salicis albae* propullulat, sero autumno, rarius applanata, sed margine utrinque reflexo-revoluta, latitudine spithamea. Sapore, amaritie grata, *Cinchonae officinalis* dignoscenda. Substantia tenace.

Obs. An forte huc referendus Boletus *tenax* Bolt. t. 75., qui ab aliis ad B. *citrinum*

allegatur, cum quo vero color et substantia (quoad nomen) non congruunt.

Etiam probabile est, quod Boletus *variegatus Sowerb. t. 368.* ad hanc mutabilem speciem pertineat; sed auctor suum fungum delineavit *apodum*, imo basi sat late effusum, quod nondum vidi.

* *castaneus*, sessilis, pileo coriaceo-suberoso castaneo glabro, poris minutissimis luteis, marginalibus spadiceis: carne alba. *Pollini Pl. veron. Fasc. I. p. 34.* Boletus populneus.

Polyporus castaneus. *Fries Syst.* 1. *p.* 369.

Ad truncos *Populi nigrae*, prope Veronam reperta, Autumno.

Pileus vix duas lineas crassus, margine leviter depresso, ad ambitum dilute castaneus, litura saturatiore marginatus. Sapor amarolus, gratus. *Pol.*

Obs. Verosimiliter mera antecedentis varietas, cum colore et sapore cum eo conveniat, absentia (tota?) stipitis tamen diversus videtur.

38. *flabelliformis*, carnoso-coriaceus magnus, pileo aureo squamis nigricantibus variegato, subtus flavicante, stipite sordide albo, partim nigricante.

Agaricus aureus flabelli effigie. *Battarr. p. 68. t. 37. f. 4.*

Ad Sambuci truncos lectus. Pileolus se-

mipedalis, qui cum pedunculo flabellum aemulatur, totusque carnoso-coriaceus. *B.*

* *tigrinus*, pileo subintegro flavo-fuscescente, squamis tenuibus appressis maculato, poris majoribus submollibus pallidis, stipite excentrico aut laterali subperpendiculari.

Aestate in viridario quodam sub arboribus ad terram, sed ramo dejecto adnatum hunc fungum inveni. Pileus subcarnosus, in statu recenti, 3 unc. fere latus; squamis sparsis pictus obscurioribus. Pori sublaxi. Stipes basi nigrescente-fuligineus, ½ unc.

39. *laccatus*, multiformis, pileo subsuberoso stipiteque erecto nitente-castaneo, poris minutis rotundis albo-pallescentibus.

Boletus laccatus. *Timin.* B. lucidus. *Syn. fung. p. 522. Curt. lond. t. 224.* Polyporus lucidus. *Fries Syst. I. p. 351.* Agaricus pseudo-boletus. *Jacq. Flor. Austr. t. 41.*

Notabilis haecce species diversis in locis, magis tamen in Europa temperata (etiam in Asia), provenit, in umbrosis ad terram ramis adnascens, sub finem aestatis.

Ab initio saepius simplicem protrudit caulem clavaeformem, cujus apex, fungo adolescente, sese dilatat in spathulam. Pileus evolutus plerumque assumit formam communem, nempe dimidiatus et horizontalis fit; pro loco nihilominus et regionibus calidioribu quoque abnormis fit (conf. *Batarr. t. 36. f. A. B.* et

D.) Superficie glaber, sed venis aut sulcis semicircularibus exaratus est. Substantia sicca, dura. Color omnium peculiaris, vernici aut laccae fusco-rubrae similis, excepto in poris, qui albidi sunt.

* *Semipatera*, pileo latissimo sicco fuliginoso umbilicato dimidiato, poris minutissimis candidis, stipite perpendiculari (passimque horizontali) lignoso atro-lucido subcentrali.

Agaricus fulvus semipateram referens. *Battar. p. 69. t. 35.*

Circa Sabinianum, verno tempore, ad quercus radicem, olim invenit Batarra, secundum quem pedunculus majoris digiti longitudinem et crassitiem aequabat, et veluti pice oblinitus. Pileus interne fuscam pulpam gerebat, quae in granulosum quemdam pulverem, peto similem transibat; transversa pileoli longitudo pedalis, latitudo vero, quia integer non est (quod vero *ex fig.* non bene liquet) semipedalis erat.

Obs. Distincta videtur species, priori cognata, a qua vero stipite brevi toto nigro aequali, et poris decurrentibus differt. Pileus quoque zonatus videtur, quo discrepat a Polyporo *vario*, inter quem et *laccatum* medium explere videtur locum.

§§§§ Pileo dimidiato, horizontali, interdum subeffuso-reflexo; stipite nullo.

* *Substantia subcarnosa, aut carnoso-coriacea.*

40. *hispidus*, magnus acaulis ferrugineo-spadi-

ceus (vetustate nigricans), tubis longis subsecedentibus flavo-cinnamomeis. *Bull. t.210 et 493.* Boletus. *Fries l. c. p. 564. Bolt. t.* 161. B. velutinus. *Sowerb. fung. t.* 344.

Ad arbores pomaceas praesertim nascitur, sed etiam in quercuum truncis, et in Italia in Moris provenit.

Forma fungi plerumque ovalis aut subcordata, margine obtusa. Substantia crassa, subspongiosa. Pileus ab initio tomento tenui et molli obtectus, dein strigosus fit, vetustate et exsiccando nigricat. Formas varias depinxit Batarra, tab. 33. fig. D — H.

Obs. Sunt qui hanc peculiarem speciem *veris Boletis* adnumerare velint, quia tubi pileo leviter adhaerent, sed cum Boletis nullam habet analogiam pro forma et substantia; verum non valde absonum esset, eam cum genere *Hypodrys* conjungere, nam praeter habitum, tubi sat facile a se invicem separare possunt (*vid. Bull. t. 493. f. F.*), et var. *rubra* Bull. t. 210. B. *hepatico* (Hypodrys) adhuc magis similis est, quae prima aetate omnino sanguinea et in Quercubus antiquis habitat (*Bull.*), etiam pori nonnunquam fimbriati sunt.

41. *cuticularis*, coriaceo-suberosus sessilis e fulvo fuscescens, carne tenuissima, tubis longiusculis. *Bull. champ. p. 350. t. 462.* †

Super arborum truncos habitat, solitarius, perennis, prima aetate subluteo-fulvus, vetu-

state fusco - nigricans, zonatus, fere ecarnis. Tubi concolores. *B.*

42. *triqueter*, imbricatus, pileo strigoso - tomentoso ferrugineo triquetro, poris griseo-ferrugineis subnitidis. *Syn. fung. p.* 528. *Obs. Myc.* 1. *p.* 86.

Polyporus cuticularis. *Fries Syst.* 1. *p.* 363?

Hab. passim ad quercuum truncos. Pilei lobi 3 - 4 imbricati, ad basin saepius attenuati, 3 unc. fere lati, subzonati, margine obtuso et in junioribus praesertim griseo, qualem etiam pori ab initio habent.

β? *alneus*, gregarius subimbricatus, pileo inaequali subtomentoso ferrugineo, poris cervinis nitidis demum cinnamomeis. *Obs. Mycol.* 1. *p.* 86. *Consp. fung. p.* 248.

Cresc. ad truncos *Alneos*, passim etiam *betulinos.* Pileus plus minusve inaequalis, gibberosus, demum totus laevis, e spadiceo nigricans. Pororum micor constans. *Consp.*

43. *strigosus*, dimidiatus orbicularis tenuis, supra sulcatus zonatus, tomento denso strigoso obsitus, subtus cervinus, poris punctiformibus aequalibus rotundis. *Schultz. Flor. Stargard. p.* 488.

In hortis ad caudices Pruni *Cerasi* ab auctore est observatus.

Obs. Vix varietas P. *pomacei*, ut Friesius asseruit, ob pileum tenuem, et tomentosum.

An vero ab una alterave antecedentium constanter diversus sit, propter speciminis inopiam decernere haud valeo.

44. *heteroclitus*, sessilis lobato-multiformis, superne villosus aurantiacus, inferne luteo-aureus, tubis brevibus: poris multiformibus. *Bolt. Fung. p. 164. t. 164. — β. Sowerb. t. 367?*

Obs. Cl. Bolton suum fungum ad terram ex radice provenientem invenit, et Sowerby ad truncos Salicis, in hujus autoris tabula color in pileo, qui glaber adparet, est lutescente-fuligineus et in poris aequalibus brevi-linearibus albo-rutilans. — Pileus, ex Bolton, subtenuis, diversimode lobatus. Pori majusculi, magnitudine et forma inter se diversi. An *Daedaleis* magis affinis?

45. *rutilans*, subimbricatus, pileo carnoso-fibroso molli glabro rufescente, poris nitidis ferrugineis. *Fries Syst. p. 365.* Boletus. *Ic. et Descr. fung. p. 18. t. 6. f. 4.*

Hab. in Germania et Suecia ad *Quercus*, *Sorbos*. Pileus fragilis, obtusus, basi subeffusus. Pori juniores albido-micantes, magnitudine medii, interdum flexuosi. *Fr.*

46. *resinosus*, pileo carnoso, dein suberoso, subtomentoso fusco-rubiginoso, poris minimis pallidis. *Fries*, *p. 361. Schrad. Spicil. p. 171.*

Boletus fuscus. *Syn. fung. p. 527.* B. ve-

lutinus. *Flor. Dan. t.* 1138. β. flavo-ferrugineus. *Schum. Saell. p.* 386. *no.*

Provenit in Germania, Suecia, Dania, etiam prope Neuchatel in Helvetia, ad truncos, praecipue abietinos, sed non frequens. Magnitudine mediocris, sed sat crassus, rugosus; junior succum rubiginosum "resinae analogon quoddam edit." *Consp. fung. p.* 248.

47. *impuber*, totus rubiginosus, pileo effuso-reflexo subundulato rugóso, juniore tomentoso, adulto plus minusve glabro. — *Sowerb. t.* 195.

Ad truncos et ligna in Anglia. Initium fungi Bysso simile. Fungus adultus habitu quoddammodo *Thelephorae*, primo subcucullatus, dein magis elongatus, margine sterili distinctus, substantia videtur tenuis. — Ex D. Friesio, eadem species, ac B. *cuticularis* Bull. est; sed icones non conveniunt.

48. *nidulans*, pileo suberoso-carnoso molli villoso, poris inaequalibus fulvo-testaceis. *Fries Syst.* 1. *p.* 362. B. versicolor. *Schaeff. t.* 136.

Ad *Betulas*, *Fagos*. Color hujus speciei dicitur varius: plerumque ochroleucus, etiam rubens, aut ferrugineo-fulvus. Substantia mollissima. Pileus elongatus, etiam resupinatus, unc. 1 fere crassus. Pori profundi, varii.

49. *croceus*, pileo carnoso-suberoso effuso reflexo tomentoso lutescente, poris majuscu-

lis inaequalibus croceis. *Fries p.* 364. *Syn. fung. p.* 525. *Obs. Mycol.* 1. *p.* 87. Boletus.

In fissuris lignorum, praesertim *Quercuum* situ longitudinali nidulatur. Ab initio totus resupinatus, ad unc. 4 - 5 effusus et tomento croceo tectus. Pileus demum, sed tarde, reflectitur, substantia fibrosa humida. Tubi sat longi, verum orificia vel pori parvi sunt.

50. *aureolus*, subparvus tener, pileo imbricato carnoso zonato basi effuso, demum horizontali tomentoso albido, poris majusculis inaequalibus, primo albis, dein flavo - croceis.

Boletus abietinus. *Decand. Flor. Gall.* 6. *p.* 40.

Poria nitida. β. *Consp. fung. p.* 258.

Polyporus amorphus. *Fries Syst. p.* 364.

Ad truncos abietinos, locis praesertim montosis, non raro obvenit sat pulchra haec species, colore laeto distincta. Mea specimina non minus amorpha sunt, quam in aliis speciebus. Pileus simplex, aut ex 3 - 4 lobis compositus, 2 unc. latus, vix lin. crassus, sulcis parallelis exaratus, margine undulatus. Pori, pro ratione, magni, textura delicati, subrotundi; primo albidi, flavescentes aut laete flavo - aurantiaci diluteque crocei. Exsiccatus, tremellosus apparet.

51. *purpurascens*, inaequalis, pileo effuso - reflexo zonato villoso albido, poris primo al-

bidis, dein rubellis (lilacinis) superficialibus subvenosis. †

Boletus purpurascens. *Decand. l. c. p.* 41.

Lectus ab auctore in Horto botanico Monspessulano ad ramum quemdam dejectum. Ab initio resupinatus, orbicularis byssoideus, praecipue in margine, qui, in fungo adolescente, reflectitur et pileum dimidiatum efformat, sed subdifformem. Superficies (hymenium) primo laevis, dein in poros subfarinosos, plicis Merulinis fere similes transmutatur.

Obs. Haec species denuo observanda est, et forsitan ad *xylomyza* referri debet.

52. *cerinus*, subterraneus cespitosus, pileo effuso-reflexo fragili subligulato obtuso ex albo flavescente, poris exiguis inaequalibus.

Poria *cerea*, cerei fere coloris et substantia lobis plurimis rotundatis. *Scop. Plant. subter. p.* 104. *t.* 22. *f.* 2.

In loco natali haec species (Pezizae cujusdam elveloideae habitu et crescendi modo, ex icone, non dissimilis) alba est, in aëre autem libero, flavum induit colorem. Lobi fragiles, subimbricati (apice parum involuti). Pori exigui, difformes. *Scop.*

53. *destructor*, albidus, pileo inaequali rugoso glabro poris subrotundis obtusis. *Fries, l. c. p.* 359. *Schrad. Spicil. p.* 166. *Consp. fung. p.* 254.

β. *sebaceus*, undulatus late effusus fuscescens. *Leysser. Syn. fung. p.* 543.

Passim occurrit locis domesticis ligna destruens, supra quae effusus plerumque est; ex D. Fries, in Suecia ad truncos udos pineos sub dio nascitur: pileo plus minusve reflexo. Fungus exsiccatus fragilis. Pori quoque laceri. Odor fortis.

54. *tephroleucus*, pileo carnoso villoso griseo, poris rotundis elongatisque albis. *Fries*, *l. c.* *p.* 360.

Ad truncos *Pini*, *Fagi*, in Suecia. Caro primo subgelatinosa, dein firmior. Pileus inaequalis, azonus, seriato-confluens. Pori tubulos longos formant, integri. *Fr.*

55. *alutaceus*, unicolor pallide lutescens seu alutaceus, pileo carnoso subvelutino, poris exiguis rotundis aequalibus. *Fries*, *p.* 360.

Cum priore, etiam ut ille mollis fragilis est, et tubulos longos habet. Pileus triqueter aut reniformis, unc. 1 latus totidemque crassus.

56. *mollis*, cespitosus, pileo carnoso rugoso molli incarnato-pallido, poris inaequalibus flexuosis albidis. *Syn. fung.* *p.* 526. *Obs. Mycol.* 1. *p.* 22.

Hab. in Germania et Suecia ad truncos. Pini *Abietis*. Humoris bibulus, uti Spongia. Pileus subtriqueter, substantia tamen subcompacta, fibrosa, nonnunquam ex viginti lobis compositus. Pori nonnulli compressi, verum plurimi rotundi. *l. c.*

Obs. Boletus mollis. *Consp. fung. p.* 247. paullo discrepare videtur, latitudine enim est ultra spithamam et basi stipitiforme productus. Verum magis adhuc deflectit *β. substrigosus*, pileo convexo aequali, juniore strigoso, poris majoribus, subaequalibus, toto dein maculis ferrugineis variegato. *Consp. p.* 248.

57. *lacteus*, candidus, pileo carnoso laevi pubescente, poris inaequalibus lacerisve. *Fries*, *p.* 559.

Ad truncos *Fagi*. Parvus, triqueter, mollis sapore stiptico.. Pori flexuosi, subtiles. *Fr.*

58. *caesius*, parvulus simplex, pileo carnoso molli subrugoso albido-caesio, poris laceris albis. *Syn. fung. p.* 526. *Schrad. Spicil. p.* 167.

Bol. albidus. Schaeff. t 124. Sow. t. 226.

β. candidus, pileo obtuso, poris caeruleis. *Roth Catal. bot.* 1. *p.* 144. *Fries Syst.* 1. *p.* 360.

Ad truncos Pini *β*. Fagi. Forma varius, etiam effuso-reflexus, subinde stipitatus, pileo integro infundibuliformi. (*Fr.*) Pileus 1-2 unc. latus, glaber aut subsericeus, ad tactum caerulescit.

* *caeruleus*, pileo subimbricato carnoso subreniformi caeruleo-glauco, postice subcontracto, margine flexuoso acuto, subtus plano cinereo-pallido, poris minutis subrotundis aut angulatis. *Schum. Flor. Saell. p.* 387.

Ad truncos caesos quercinos. Decemb. Pileus 2-3 unc. latus, 1½ crassus, carne ochracea. — Antecedentis subspecies.

59. *stypticus*, cespitosus albidus, pileo carnoso subrepando glabro, margine rufescente, poris subrotundis. *Fries Syst.* 1. *p.* 359. *Syn. fung. p.* 525.

Ad truncos *Pini*, etc. Ad majores attinet, basi gibbosus, fragilis, sapore adstringente et odore ingrato distinctus.

60. *adustus*, pileo imbricato subcarnoso tomentoso azono fuligineo pallente, margine stricto nigricante, poris rotundis cinereis. *Syn. fung. p.* 519. Boletus flabelliformis. *Batsch El. fung. Cont.* 2. *t.* 41. *f.* 226-227.

β. Boletus pelleporus. *Bull. Champ. p.* 65. *t.* 501. *f.* 2. Colore dilutiore et glabritie differt.

γ. *carpineus*, pileo flavescente glabro (?). *Sowerb. t.* 231. *Syn. l. c. Fries p.* 364.

Sero autumno ad truncos, ramos, non infrequens. Subminor. Pileus obsolete zonatus, rugosus, passim albicans. Pori regulares, etiam inaequales, nonnulli laceri, ab initio albi, micantes, dein obscuri fere nigrescunt.

δ. resupinatus albicans. Poria *argentea*, effusa orbicularis demum confluens subcarnosa argentea, poris obtusis variis subangulatis, margine byssino albido. *Ehrenb. Sylv. Mycol. p.* 31. In trunco alneo, Martio.

2. Tre-

ε. resupinatus fusco-*nigricans*. *Schum. Saell. p.* 390.

Ad asseres, locis humidis.

61. *crispus*, minor, pileo imbricato rugoso fuligineo-cinereo, margine tenui crispo nigrescente, poris majusculis argenteo-cinereis. *Obs. Mycol.* 2. *p.* 8. *Consp. fung. p.* 249. *Fries l. c. p.* 565.

In Germania et Suecia rarius occurrit. Habitu antecedentis, sed minor et tenuior. Pori majores, acuti, inaequales. Aliquando etiam resupinatus est.

62. *leucoloma*, imbricatus major basi porrectus, pileo carnoso-coriaceo (?) subtomentoso cinereo, margine subtusque albo. — *Batar. p.* 69. *t.* 35. *B.* P. zonatus, *α*. *Fries Syst.* 1. *p.* 368.

Ad palos in stagnis defixos; etiam in vivis quercubus provenit. Coriaceus substantia est, et tactu mollis. *B.* Pileus margine repandus azonus et pori angusti. Quoad figuram, forma est P. *adusti*, a quo solummodo diversitate coloris deflectit, et vix ut species propria aestumanda est.

** *Substantia coriacea (non succulenta).*

63. *fumosus*, imbricatus fuligineo-pallidus, pileo carnoso-fibroso undulato, poris concoloribus aequalibus parvis. *Syn. fung. p.* 530. *Fries p.* 367. *Consp. fung. p.* 250. — *Trat-*

tin. Fung. Austr. 1. *p.* 29. *t.* 3. *f.* 5. (margine linea obscure fusca).

Autumno sero ad salices cavos. Primo albus, dein rutilans aut lividus, subtus albus. Substantia carnoso-suberosa subacida, circulis concentricis notata. Odor gratus (nullus *Fries*).

64. *suaveolens*, pileo carnoso-suberoso azono subtomentoso albo, poris majusculis fuscescentibus. *Syn. fung. p.* 366. *Sowerb. t.* 228. *et* 227. *Enslin Diss. de B. suaveol.* cum bona icone. *Bolt. t.* 162. B. suberosus. *Tratt. fung. austr. p.* 25. *f.* 1. sub Daedalea.

Sero autumno ad Salices (*albam* et *capream*) crescere incipit et per hyemem lenem in ver usque perdurat. Ab initio difformis, albus (passim subgriseus), laevis et subtomentosus. Pileus nonnunquam basi subeffusus, ceterum regularis, crassus et latus. Pori primum albi et teretes, dein pallescunt, nonnunquam inaequaliter prominent et acuti sunt. Odor anisatus, fortis, huic speciei peculiaris est:

* *populinus*, minor subinodorus, pileo imbricato carnoso-suberoso azono velutino, poris parvis rotundis. *Fries Syst. p.* 367. *Schum. Saell. p.* 384.

Ad truncos Populi *nigrae* et *albae*. Praecedenti affinis. Pileus concrescens; singulus 1 unc. latus. Pori curti, aequales, albi. *Fr.*, versus marginem pilei repandi evanescunt. *Sch.* — An, uti sequens, species constans?

65. *borealis*, albus, pileo fibroso suberoso subvilloso molli, demum subfulvente, poris tenuibus inaequalibus. *Fries Syst.* 1. p. 366. *Schaeff.* t. 314?

Truncis abietinis in montosis uliginosis Smolandiae increscit.

Recens inodorus, siccus odorem aniseum debilem spargit. Pileus imbricatus, 2 unc. et ultra latus et crassus, margine acuto, nunc velutinus, nunc strigosus. Pori albi, lacerati, sinuosi et subrotundi, angusti, tubulosi. *Fr.*

66. *gibbosus*, magnus, pileo suberoso crasso convexo gibboso, superficie inaequali albido-fuscescente glabro, poris minutis decurrentibus albis. †

Boletus suberosus. *Sowerb. Fung.* t. 288. exclus. Synonym.

Locus natalis non indicatur. Ex tabula, si judices, fungus est forma communi, tamen magnus et basi praesertim crassus. Ab initio totus videtur albus. Pileus glaber, azonus. Tubi non stratosi. Affinitas dubia.

67. *officinalis*, pileo suberoso-carnoso angulato zonato glabro, poris lutescentibus. *Fries l. c.* p. 365. *Vill. Delphin.* 4. p. 1041. *Michel. gen.* t. 61. f. 1.

Boletus Laricis. *Jacq. Misc. Austr.* 2. p. 164-210. t. 20-21. *Hall. Helv.* t. 2284. B. purgans. *Syn. fung.* p. 531-532.

In subalpinis ad caudices Pini *Laricis.*

Odore farinaceo et sapore amaricante notabilis. Pileus ab initio fere globosus, altus, tuberculosus, zonis variegatus, substantia molli, sicca friabili. Pori tenues, colore varii, demum fuscescunt. Species rarius bene evoluta, et plus minus difformis remanet.

68. *levis*, magnus, pileo coriaceo glabro albicante obsolete zonato, poris majusculis sublinearibus (oblongis) lutescentibus aut subferrugineis.

Nascitur praesertim in Crataego *dentato* Th. aut *latifolio* Lam., passim ad *Salices*.

Ad majores pertinet, spitham. enim fere latus, sed levissimus, 1-2 unc. crassus. Tubi longissimi, quandoque stratificati, totam fungi crassitudinem efficiunt, quam ob rem ille pondere levis est.

69. *fraxineus*, pileo coriaceo-suberoso zonato rugoso applanato ex pallido rufescente, poris rotundis aut ellipticis ferrugineis. — *Bull. champ. p. 341. t. 433. f. 2.*

Ad *Fraxini* truncos rarius gignitur; latitudine 1½ palmari, unc. 1½ crassus, versus marginem attenuatus, zonis pluribus variegatus. Pori majusculi, nitidi, plurimi subcompressi, hinc lineares.

70. *suberosus*, pileo coriaceo utrinque convexo pallido lutescente, margine crasso obtuso, poris albidis. *Fries Syst. 1. p. 505. Wahlenb. Flor. Upsal. p. 457.* sub Boleto.

Hab. in Suecia ad truncos in sylvis frondosis. Forma pulvinata crassa distinguitur. Affinis Daedaleae *gibbosae* dicitur, pori hinc oblongi uti in illa forte sunt.

71. *Bulliardi*, magnus flavo - ferrugineus unicolor glaber, pileo ab initio carnoso, dein coriaceo duro, margine obtuso subtoruloso, poris tubulosis majusculis subinaequalibus. †

Boletus *suberosus*, coriaceus glaber sessilis dimidiatus utplurimum subtenuis, tubis inaequalibus pileo concoloribus. *Bull. champ.* 1. p. 354. t. 482. *Decand. Flor. Gall.* 2. p. 116.

Daedalea Bulliardi. *Fries Syst.* 1. p. 335.

Truncis, palis ramisque jacentibus innascitur. *B.*

Obs. Species est dubia, et tabula citata diversos comprehendere videtur fungos. *Fig. A* et *B.* colore est ligneo - pallido margine tenui, reniformis, in stipitem porrectus, quo ramo betulino est affixus. *C* et *E. F.* specimina offerunt utrinque convexo pileo lacunoso. *Fig. D.* exhibet fungum latitudine spithamaea applanatum, margine toruloso et tubis longis instructum, quorum pori vero minime (ex icone) daedalei videntur.

72. *Rheades*, pileo subimbricato carnoso - convexo - plano obsolete zonato lutescente - ferrugineo, basi substrigoso, poris tubulosis subinaequalibus cinnamomeis.

Hab. in Gallia ad truncos. *Tussac.*

Species pulchra, forma praesertim regulari, exacte semicirculari, induta, uti et colore, licet similari, satis laeto et subnitente distincta. Pileus 2-3 unc. latus, ¼ unc. crassus, margine reflexo, subtus planus, superficie fibrilloso-pubescens, sed basi, uti trunco adhaeret, hirsutie densiore strigosus.

73. *radiatus*, pileis coriaceis radiato-striatis subvelutinis fusco-lutescentibus, poris exiguis. *Fries l. c. p. 369. Sowerb. t. 190. Act. Suec. 1816. p. 86.*

Hab. in Anglia et Suecia ad truncos. Imbricatus, uncialis, e basi ferruginea radiatus, versus marginem subzonatus, Pori albi, flavescentes. *Fr.*

β. *rubiginosus*, pileis imbricatis zonatis hirsutis aureo-rubiginosis, poris angustis flavicantibus.

Agaricus aureus rubiginosus. *Batar. p. 69. t. 35. f. c.*

Circa Covignanum ab autore olim observatus, secundum quem squamosus (imbricatus) est, et aurei coloris superne et virescente quadam rubigine partim perfusus. — Singulus pileolus, ex icone, plus minusve ½ unc. latus est. — Praeter regionem diversam, hirsutie et crescendi modo praecipue differt.

* *pallescens*, pileis subcoriaceis glabris azonis pallide ochraceis, poris aequalibus minutis albo-luteis. *Fries l. c. et ejusd. Obs. Mycol. 2. p. 256.*

Boletus pelloporus. *Sowerb. t. 250.*

Cum antecedente ad truncos vetustos.

Pileus imbricatus, difformis, laevis, 2 unc. fere latus, margine repando. Substantia alba. Tubuli breves. *Fr.*

74. *lutescens*, simplex aut subimbricatus, pileo coriaceo subtenui pallido, zonis substrigosis obscurioribus. *Syn. fung. p. 539.* B. versicolor. *Schaeff. t. 136.* saltem fig. suprema satis congruit.

Ad truncos et ligna equidem non raro provenit, etiam ex Italia eam accepi; haec species, sed parum cognita aut cum aliis confusa. Color opace flavescens aut flavo-cervinus praesertim inferius. Adultus utrinque planus, 3 unc. fere latus, et 2-3 lin. crassus. Pori minuti, aequales. Aliquando pileo orbiculari, centro affixo aberrat.

75. *versicolor*, cespitosus, pileo coriaceo subtenui sericeo, zonis pluribus dilatatis multicolore, poris minutis albis. *Syn. fung. p. 540. Bull. t. 86.*

Boletus atrorufus. *Schaeff. t. 268.* Agaricus squamis iridiformibus. *Batar. p. 69. t. 35. f. A.* (fig. bona). *Bolt. t. 81. Sowerb. t. 135.* (colore dilutiore). *Flor. Dan. t. 1554.*

Agaricus coriaceus. *Bull. t. 86. f. A et B.*

Autumno vulgaris, in sylvis, ad truncos caesos.

β. sepium, major crassior subsimplex veluti-

nus zonatus spadiceus. — B. *multicolor. Schaeff. t. 269.?* In hortis praesertim, ad saepes nascitur.

γ. *ochraceus*, pileo tenui sericeo unicolore ochraceo, basi saepius tuberculoso, subtus albo, aetate lutescente. *Syn. fung. p. 539. Bull. t. 86. f. c.*

In sylvis ad truncos. Laevis varietas.

ε. *olivarum*, pileo glabro (?) ex rufo et spadiceo subversicolore, poris minutissimis cinnamomeis.

Ad truncos *Oleae europaeae*, in Gallia meridionali repertus. Species forte propria. Pileus 4-5 unc. longus, 3 latus, basi subpellatus. Pori subinconspicui.

Obs. Species in omnibus regionibus communis est autumno, in ver usque reperiunda, et inter europaeanos, pulchrioribus jure adnumerari debet, sed pro aetate et loco colore praesertim uti et pororum forma, quod in pluribus aliis speciebus obtinet, mutabilis, quare a nonnullis auctoribus sub diversis nominibus descripta est. Etiam sequens a pororum forma modo disjuncta, non constans videtur, tamen eam hic indicare lubet.

76. *angulatus*, cespitosus, pileo imbricato coriaceo reniformi, villoso-sericeo, cinereo, zonis angustis fuscis, subtus albo, poris minutis angulatis. *Schumach. Flor. Saelland. p. 388.* †

Cum antecedente iisdem in locis eodemque tempore lectus. An pori etiam in fungo *juniore* angulati?

β. Placenta, cespitosus semiorbiculatus planus, zonis concentricis elevatis tomentosis, caesio cinereo-pallido et flavo-subferrugineo variis, subtus e fusco pallidus ac cinereus, poris subangulatis, tubulis griseo-albidis. *Schum. l. c. p. 387.* Polyporus zonatus, *β. Fries p. 368.*

Ad radices truncorum Fagi sylvaticae. Latitudine 3-4 unc., et 3-4 lin. crassus. *S.*

77. *hirsutus*, albidus, pileo coriaceo suberoso strigoso-zonato, poris rotundis obtusis fuscescentibus. *Fries Syst. I. p. 307. Jacq. Collect. v. 2. p. 149.*

Hab. in Germania et Suecia, autumni initio. Utrinque fere planus, reniformis, saepe imbricatus, latitudine fere biuncialis. Pori aequales, demum cinerei, variant lutei. *Fries.*

* *velutinus*, totus albus, pileo coriaceo-suberoso convexo subtenui zonato hirsuto, poris rotundis concoloribus. *Syn. fung. p. 539.*

Passim ad truncos occurrit. Non est varietas P. *lutescentis*, uti nonnulli autumant, verum an ab antecedente diversus sit, adhuc in dubio est.

78. *argyraceus*, dilatatus, basi demum sat late effusus, apice reflexus, albido et griseo-fuligineus, pileo coriaceo tomentoso subzona-

-to, poris majusculis membranaceis, primo aequalibus, demum laceris dentiformibus candidis.

A D. *Chaillet* communicatus, 4-6 unc. latus, 2-3 lin. crassus. Tubi sat longi, in valde adultis fasciculatim a pileo dilacerari possunt.

79. *Stereoides*, parvulus, pileo coriaceo pertenui pubescente zonato griseo, poris minutis difformibus albis. *Fries Obs. 2. p. 258.*

Lectus ad vetustos abiegnos truncos. Cespitosus imbricatus. Pileus ½ unc. tantum magnus, reniformis, flaccidus: zonis depressis tenuibus. *Fr.*

79 b. *Cunini*, parvus, pileo imbricato coriaceo zonato albo-cinereo sericeo, poris majusculis griseo-albidis.

Boletus abietinus. *Cunino in Mémoir. Taurin. p. 224.*

Super emortuos aut languescentes Abietes imbricatim crescit in Italia in Valle Pisii. Exiguus est, facie Agarici alnei. Tubi breves. Substant. coriacea, alba.

80. *contiguus*, pileo coriaceo sicco elongato glabro spadiceo, poris majusculis subaequalibus rotundis.

Boletus contiguus β. dimidiatus. *Consp. Fung. p. 255.*

β. tota resupinata effusa. *Syn. fung. p. 644.*

Provenit hinc inde ad portas vetustas aut alia ligna fabrefacta pinea, in hortis, campis. "Amat ligna pinea. Consp."

Plerumque in seriem longitudinalem crescit, sed pileus angustus est, vix unc. latus, cum tubis 3-4 lin. crassus, saepius resupinatus. Junior cinerascens aut margine lutescente subtomentoso instructus, secundum autores Consp. primo albus, adultus ferrugineus, valde levis quoad pondus. In alia varietate colore multo obscuriore, pileum, versus marginem, spongioso-lacunosum vidi, et poros compressos.

81. *serialis*, seriato-confluens effuso-reflexus, pileo tenui suberoso rugoso testaceo, margine porisque inaequalibus albis. *Fries l. c. p. 370.*

Ad truncos abiegnos. Pileus flexilis, obsolete strigosus, $\frac{1}{4}$ unc. latus, sed in seriem ultra pedalem confluit. Pori in parte pilei effusa irregulares latere hiantes. Junior totus albus, obsolete zonatus. *Fr.*

82. *Neesii*, totus albus, glaber, pileo coriaceo tenaci, poris subrotundis exiguis. *Fries l. c. p. 370.*

In fagetis. Pileus subeffuso-reflexus, imbricatus, concrescens, subazonus. Pori integri, obtusi, vix aequales. *Fr.* — Descriptio non est decretoria.

83. *irregularis*, gregarius parvus terrestris pal-

lide gilvus, pileis submembranaceis tenuibus inaequalibus forma variis, lobatis, sinuosis, passim urceolatis, subzonatis hinc inde velutinis, poris angustis, situ variis. *Sowerb. Fung. t. 423.*

In Angliae pinetis, supra folia abietina decidua.

Obs. Quantum ex icone et descriptione dijudicare licet, individua ejusdem congeriei forma dissimilia sunt, et a ceteris Polyporis ita discrepant, ut hanc speciem vix hujus generis crediderim.

84. *rugosus*, cespitose imbricatus basi effusus, pallide rufescens, pileis coriaceis subimbricatis glabris? subrepandis, zonis nullis. *Sowerb. t. 422.* †

Provenit ad truncos, in Anglia. Habitum communem, compactum offert. Totus cespes 3-4 unc. latus. Pileus subirregularis, basi late decurrens. Pori apparent distincti, rotundi, non parvi.

85. *cinnabarinus*, subgregarius unicolor, pileo coriaceo crassiusculo ruguloso subzonato, poris rotundis conspicuis. *Syn. fung. p. 540. Fries l. c. p. 371. Jacq. Flor. austr. t. 304. Bull. t. 501.* B. coccineus.

Innascitur truncis et ramis *Cerasorum, Sorbi* etiam *Fagi et Betulae*, sed minus frequens, colore cinnabarino mox distinguitur. 3-4 unc. latus, junior subtomentosus, dein fere glaber, passim basi subeffusus.

86. *abietinus*, cespitosus, pileo coriaceo imbricato subtenui villoso albido, poris fusco-purpureis plerumque laceris. *Syn. fung. p. 541. Flor. Dan. t. 1298. Dicks. Pl. cryptog. Fasc. 3. p. . t. 9. f. 9. Fries l. c. p. 370.*

β. *incarnatus*, pileo difformi effuso, margine sublobato, lobis albidis antice fusco-rubroque zonatis, disco pallido subincarnato, subtus purpureo, poris minutis angulatis. *Schumach. Saell. Flor. p. 391.*

Locis magis montosis ad *Abietis* truncos provenit. Pileus saepius ex pluribus lobis imbricatus, margine subrepandus, nonnunquam fere totus resupinatus invenitur (conf. *Sistotrema violaceum*). Pori juniores integri, magnitudine mediocres (in *fig. Dicksoniana* nimis magni expressi), aetate expallescunt et dentato-laceri evadunt.

87. *dolosus*, effuso-reflexus tenerrimus, pileo tomentoso albo, poris membranaceis majusculis: adultis laceris dentiformibus variis, primo lutescentibus, dein fusco-purpurascentibus.

Boletus abietinus. *Schleich. no. 93.* excl. synonym.

Hydnum fimbriatum. *Decand. Flor. Gall. 6. p. 37.*

Hydnum Pseudoboletus. *Decand. l. c. Fries p. 424.*

Hydnum obliquum. *Decand. l. c. p.* 36. excl. synonym.

Sistotrema *Hallii* Schmidt. Hydnum. *Fries p.* 420.

Hab. in truncis et lignis pineis, in Helvetia, Germania et Suecia.

Plantula variabilis quoad diversum vitae stadium. Ab initio, tota est resupinata, squamas seu pelliculas orbiculares villoso-strigosas subtuberculatas sistens, dein formam assumit cucullatam, margine liberam et parum reflexam. Pori tunc adsunt distincti, primo regulares, sed in adultis multiformes et iis Sistotrematum magis similibus. Pileus fere membranaceus.

Obs. Ob summam affinitatem cum antecedente hanc speciem huc retuli, quamvis sensu systematico melius ad genus *Sistotrema* pertineret.

*** *Substantia sicca fere lignosa, durissima. Pori parvi (ab initio saepius glauci) in multis stratosi.* (Species perennes).

88. *roseus*, durus, pileis triquetris laevibus roseo-fuligineis, poris intus roseis. *Fries Syst. p.* 372.

Boletus *roseus*, dimidiatus durus roseus, fuligine cinereo-nigricante quasi afflatus, pileo subtriquetro subfasciato, poris minutis. *Consp. fung. p.* 251.

Provenit rarius, in Lusatiae et Sueciae

montosis ad truncos Abietinos. Totus intusque roseus, sed secus zonas praesertim fuligine conspersus. *Fr.* Pileus imbricatus, magnitudine mediocris, basi ½ - 1 unc. crassus. *Consp.*

89. *odoratus*, durus odoratus subdifformis, pileo rugoso zonato subrubiginoso, basi subnigrescente margine fornicato subtusque ferrugineo. *Syn. fung. p. 532. Fries l. c. p. 373. Schaeff. t. 106.*

β. ceratophora, subterraneus pulvinatus corniculatus fuscus. *Hoffm. Veget. crypt.* p. *1. t. 1 - 5.* Ceratophora fribergensis. *Humb. Friberg. p. 112. t. 1.*

γ. polymorphus, subterraneus, acaulis expansus pulvinatus gibberosus tomentosus flavescente-fuscus, poris perpendicularibus laceris. *Hoffm. l. c. p. 3.*

Crescit in Germania et Suecia, regionibus praesertim montosis ad truncos abietinos. Odore grato subanisato distinctus. Pori ab initio albo-pruinosi lutescentes, aequales. Var. *β.* et *γ.* in fodinis metallurgicis offenduntur.

90. *torulosus*, subsimplex dilatatus suberosus cinnamomeus, pileo dimidiato subapplanato rugoso-tuberculoso, margine obtuso toruloso, subtus plano-convexo, poris minutissimis.

Boletus igniarius, var. *c. Bull. t. 454. Bolt. t. 80.*

Hab. ad truncos exsiccatos quercinos. Spi-

thamam fere latus, 1½ unc. fere crassus, duriusculus, margine subrepandus, superficie praesertim juniorum, valde inaequalis, tomento tenui obductus, zonis obsoletis.

91. *Ribesius*, simplex dimidiatus, pileo suberoso rugoso subpubescente obsolete zonato spadiceo, margine subtusque cinnamomeo, poris minutis aequalibus.

Boletus Ribis. *Schum. Saclland. 2. p. 386. Decand. Flor. Gall. 6. p. 41. Bull. t. 454. f. E.*

Hyeme satis frequens, ad basin truncorum *Ribis*, imprimis *Grossulariae*, quos saepe ambit. Crassitudine et magnitudine variat, plerumque unc. 1-2 ad 3 latus. Substantia dura. Margo dilute ferrugineus, versus basin ob vetustatem fere nigricat et virescit. Sapor subnauseosus.

92. *fomentarius*, pileo subtriquetro (aut semiorbiculari) glabro fuligineo-canescente, intus molli, margine porisque minimis pallide glaucis, dein ferrugineis. *Fries Syst. p. 374.*

Boletus. *Linn. Flor. Suec. p. 453. Sowerb. t. 133.*

Boletus ungulatus. *Bull. t. 491.*

β. applanatus, dilatatus utrinque planiusculus, pileo glabro tuberculoso-rugoso rufescente-fuligineo, poris primo albidis, dein pil. concoloribus. *Syn. fung. p. 536. Batsch. fung. Cont. 1. p. 183. t. 25. f. 130.*

γ. stra-

γ. *stratosus*, pileo fasciato truncato-plano, poris stratosis. — *Batar. p. 70. t. 37. f. D.*

Ad truncos *Fagi* passim et *Quercus* crescit et fomiti aptissimus. β. multo latior, sed subtennis et quod singulare, pulvere rufo-ferrugineo, non a poris, uti videtur, orto obtectus. γ. secundum *Batarram* ad moros oritur et monstrosa videtur (consimilis fungus etiam circa Rouen in Gallia a D. *Beheré* inventus et mecum communicatus). Ad trunci basin inter sinus latitat et ex multiplicibus horizontalibus stratis coalescit, singulis aestivis mensibus novum stratum producit et per annos arbori adhaeret. *Bat.*

Obs. Forsitan nonnullae aliae adhuc existunt varietates, imo subspecies, magnitudine, colore plus minusve dilutiore et pilei superficie diversae, ad *sequentem transeuntes*, quocum saepe commutatur, cujus "odor panis nuper cocti haud dissimilis est." *Schum.*

93. *igniarius*, durissimus, pileo crasso obtuso sublaevi (in junioribus aut fasciato e ferrugineo cinereo vel nigricante, margine porisque convexis exiguis cinnamomeis. *Fries, p. 375. Bull. p. 361. t. 454. fig. B. D. Sowerb. t. 132. Bolt. t. 80.*

B. *obtusus*, crassus obtusus, primo globosus dein horizontalis subtriqueter, basi cinereus nigrescens, margine obtusus subtusque cinna-

momeus. *Obs. Mycol. 2. p. 4. Bull. t. 454. fig. E.* (junior fungus).

B. *ungulatus*, subcylindricus altus cinereus nigrescens: fasciis prominentibus, inferne plano-depressus, poris ferrugineis. *Obs. Mycol. l. c.* (adultus).

Polyporus *nigricans*, durissimus, pileo pulvinato crasso concentrice sulcato nigro, margine porisque exiguis ferrugineis. *Fries, p. 375?* (Ad truncos *Betulae*, nec alibi ex auctore. Vetustus?)

Sat frequens ad *Salices* annosas oritur.

Ponderosus, durus, nonnunquam ingens. Quovis anno, hyeme incipiens, novum stratum porosum in superficie inferiore profert, qui tunc omnino laevis est, colore ferrugineo.

Pileus vetustus, fere emortuus, nigricat et sulcato-rimosus fit, fasciis applanatis a novis accretionibus ortis, cinctus. Fomitem quoque dat, sed viliorem.

β. *plicatus*, crassus transverse sulcato-fasciatus fuscus, disco truncato-plano albo poroso, petiolo laterali brevissimo. *Scopol. Pl. Subterr. p. 103. t. 21. f. 2.* (Poria).

In Fodina St. Antonii. Ab ipso auctore ut varietas consideratur.

94. *serpentarius*, durissimus, pileo pulvinato glabro fusco-nigricante, margine porisque majusculis pallidis. *Fries l. c. p. 373.* P. annosus.

In Suecia ad truncos *Betulae.*

Lente increscit, non tamen poris stratosis gaudet, 3 unc. fere crassus, 4 latus, intus suberoso-floccosus, margine obtusus. Pori rotundi ligneo-pallidi. Fomiti non aptus est, verum, ex auctore, qualitatem habet memorabilem: rustici nempe *membra, a serpentibus vulnerata hoc fungo fumant, et quemdam in ore ictum brevi exinde sanatum vidit.*

95. *dryadeus*, subsolitarius azonus, pileo explanato molli tuberculoso subcinnamomeo, margine tumido poris parvis albidis, dein fuscescentibus. *Fries p. 374. Syn. fung. p. 537. Obs. Myc. 2. p. 3.*

Boletus pseudoignïarius. *Bull. champ. p. 356. t. 458.*

Passim observatur ad caudices Quercuum. Junior subpulverulentus, adultus guttulas stillat. Superne fusco-ferrugineus rugosusque, latitudine 1-2 pedalis et 2-3 unc. crassus.

96. *Pini*, semicylindricus conicus basi dilatatus spadiceus, pileo zonato sulcato-rugoso scabro glabro, margine acuto subtomentoso subtusque cinnamomeo, poris irregularibus distinctis.

Boletus Pini. *Thore Chloris Lond. p. 487.*

Hab. prope Dax, in Gallia, ad truncos *Pini rubri.*

Altitudine et latitudine basilari palmaris est. Ad tactum asper. Pori subnitentes, brunnei,

magnitudine et forma varii, nonnunquam hinc inde sinulos efformant flexuosos.

97. *marginatus*, simplex vel subimbricatus, pileo crasso duro tuberculoso rufescente, margine stillante albido, poris pallide citrinis. *Syn. fung. p.* 534. *Obs. Mycol.* 2. *p.* 6.

Boletus fulvus. *Schaeff. fung. t.* 262. *Cumino Mém. p.* 226. (Var. immarginata).

Prov. ad diversarum arborum truncos. Tempore praesertim humido, guttulas acidulas stillat; 3-4 unc. latus, glaber. Pori primo albi, tubulos sat longos efficiunt. Ungulaeformis, 3-4 unc.

98. *pinicola*, durus, pileo dilatato inaequali nigrescente, margine rubicundo, poris rotundis ochroleucis. *Fries*, *p.* 372. *Swartz Act. Suec.* 1810. *p.* 88.

Boletus igniarius. *Syn. fung. p.* 534. *Obs. Mycol. p.* 5. *Flor. Dan. t.* 953.

β. *resupinatus*. Bol. semiovoideus. *Schaeff. t.* 270. B. ellipticus. *Comment. in Schaeff. p.* 108.

Hab. in Germania, Suecia et Vogesia ad truncos *Abietis* et *Betulae*. B. *igniario* duplo minor. Pileus fusco-croceus, versus basin nigrescit seu badius, margine pallidus. Pori quidem minuti, sed distincti, juniores albidi, vetusti pallide cinnamomei.

99. *pomaceus*, dimidiatus parvus, pileo perpendiculari cinereo-fuscescente opaco obso-

lete fasciato, poris parum majusculis planis ferrugineis. *Syn. fung. p.* 538. Boletus. 5 38

β. prunastri, pileo resupinato subcrasso laevi. B. scutiformis. *Trattin. Fung. Austr. Fasc.* 2. *p.* 49. *t.* 5. *f.* 9.

In pomariis, praecipue ad truncos adhuc vivos Prunorum et Cerasorum. Duas fere uncias fere magnus, sublaevis.

100. *conchatus*, subparvus durus spadiceus, pileo subtenui fasciis imbricatis transversim striato, subtus concavo, poris parvis cinnamomeis. *Syn. fung. p.* 538. *Consp. fung. p.* 252. *Decand. Flor. Gall.* 6. *p.* 42.

Nascitur ad Salices, rarius ad Fagi truncos, 2 unc. fere longus, et vix 3 lin. crassus, fasciis concentricis subimbricatis distinguendus.

101. *Batschii*, pileo suberoso-lignoso tenui glabro subzonato ochraceo-fusco, basi nigro-fulvo-tuberculoso, utrinque plano, poris majusculis rotundis canescentibus. †

Boletus coriaceus. *Batsch Elench. fung. Cont.* 1. *p.* 177-179. *t.* 24. *f.* 127.

Lectus ad ligna, forte salicina. Tener siccus, membranaceo-suberosus, semiorbiculatus, superficie glabra et fere nitida, in adultis postice prominentiis rudibus divergentibus atro-purpureis variegato, inferne subpruinatus et lenissime colore carneo tinctus. *B.*

101. *b. scutatus*, subterraneus coriaceo-suberosus multiformis flexuosus fuscus, interstitiis

albidis. *Hoffm. Vegetab. Hercyn. subterran. p.* 13. *t.* 9 *et* 10. *f.* 1. sub Poria.

Hab. in semiputridis lignis trabibusque fodinarum Hercyniae. Perennis.

Ab unciali usque ad bipedalem latitudinem extenditur. Ab initio scuti- seu patellaeformis, convexus aut excavatus, varieque flexus. Deinde cespites plerumque efformat ex multis inter se connexis et superimpositis aliis scutis. Superficies prona ad nudos oculos glaberrima, corrugata, rugis crassis zonisque saepe concentricis distincta. Superf. aversa ex fusco cinnamomea, frequenter lacteo candore circumlita, innumerisque poris pertusa, orificiis minutis et obliquis. *H.*

Obs. Cel. auctor, ut varietates sui fungi citat: Poria *scutata*, *pelviformis* et *Perspicillum* Scop. pl. subterr., quae, ut ejus fungus, modificationes Polypori *igniarii* a loco alieno ortae tantum videntur.

*** *Pileo suberoso, magna in parte, resupinato seu basi late effuso, apice demum reflexo.*

102. *loricatus*, *α. glaucoporus*, gregarius durissimus perpendicularis, pileo crassiusculo spadiceo rugoso-tuberculoso substrigoso, poris minutissimis aequalibus glauco-ferrugineis.

Lectus a D. Chaillet ad basin cujusdam trunci, quem plura hujus speciei individua juxta se posita, cataphractae ad instar obtegunt.

Singulum individuum 2 unc. latum, 4 lin. crassum, irregulare, subfasciatum, in pilei parte subexcavatum, in prona s. porifera convexum, margine subacuto. Pori, oculo inermi, vix visibiles, materia glauca primo obducti, in fungo maturo cinnamomei.

β. phaeoporus, latior, pileo undulato magis glabro, margine prominente, poris conspicuis rubiginosis. (Ad Salices cum muscis connatus).

103. *cervinus*, effusus latissimus perpendicularis, pileo subreflexo subspongioso-tomentoso zonato umbrino, poris aliis linearibus, aliis poriformibus cervino-griseis.

Daedalea *latissima*, effusa suberosa crassa undulata ligneo-pallens, poris subrotundis longissimisque flexuosis. *Fries Syst. p. 340.* Polyporus *Ejusd. Obs. 1. p. 128.* An varietas?

Etiam prope Neuchatel, ad truncos *fagineos* provenit. Spithamam propemodum latus, crassiusculus, superficie (speciminis mei) inaequalis. Pileus parum modo reflectitur, lacunosus, irregularis. Pori sub pileo siti, aequales, rotundi, in reliqua planitie sinulos Daedalearum fere efformant, tamen breves plerumque et multis verisque tubulis intermixtos, colore fusco-griseo subnitente, et in vetustis fere umbrino.

104. *cryptarum*, coriaceo-spongiosus effuso-reflexus tenuis fuligineo-ferrugineus, poris

aliis rotundis, aliis hiantibus. *Fries l. c. p. 376. Bull. p. 350. t. 475. Nees Syst. t. f. 222.* (Boletus).

Secundum *Bulliard* super trabes in *cryptis* habitat, utplurimum in congeriem crustaceam aggregatus, forma et dimensionibus varians, perennis, superne per intervalla saepius hians. Tubi *longissimi.* — Fungus sequens Schumacheri, sub *dio* crescens, vix eadem species?

* *epiphegus. β. cryptarum*, gregarius, pileo coriaceo-spongioso suborbiculari tomentoso-sericeo subexcentrice adnato, margine repando subtumido, subtus (in parte sterili seu pileato?) primo albido-caesius, dein fuscus, resplendens lacrymans, poris minutis rotundis, tubulis brevissimis. *Schum. Saelland. p. 389.*

In Dania in trunco cavo *Fagi sylvaticae* detectus. Autumno. Substantia umbrina, substriata. Pileus 2 unc. et ultra latus, 1 crassus.

††† Poria. Effusa resupinata (superne porosa). Pileo obliterato. (*P. destructor, contiguus, argyraceus, etc.*)

* *Substantia coriacea, margine circumscripto, in nonnullis tomentoso. Colore flavido, umbrino, etc.*

105. *megaloporus*, latissimus rubiginosus unicolor, subiculo tenui, tubis longissimis: osculis (poris) aequalibus subfimbriatis.

Ad trabes in cryptis repertus: in Vogesia a cl. Mougeot, et Lilloae plerumque ad portas cellarum, passim quoque ad ligna sub dio a D. Desmazières. Plerumque ad latitudinem pedalem expansus, et una cum tubis, qui passim stratosi sunt ½ unc. crassus. Subiculum ipsum, quod marginatum est, vix 1-2 lin. crassum. Substantia est coriacea, compacta.

106. *spongiosus*, effusus coriaceo-spongiosus ferrugineus, poris rectis rotundis minutis. *Fries Syst. I. p. 377. Syn. fung. p. 543.*

Boletus resupinatus. *Bolt. Fung. t. 165.*

Circa Halifax (Anglia) ad ramos deciduos *Coryli* crescit. Tubi et in hac specie longissimi totumque fere fungum constituentes, sed longitudine varii. Nonnullas uncias modo latus.

107. *ferreus*, effusus contiguus ferrugineus margine tomentosus, poris subaequalibus minutis obtusis.

Ad ramos semel inveni fungum, forsitan nondum satis adultum. Longitudine palmari est et 1½ latus, ligno arcte adhaerens, margine depressus repandus. Substantia sicca.

108. *ferruginosus*, effusus crassus subinterruptus ferrugineo-spadiceus, poris subrotundis inaequalibus. *Fries p. 378. Syn. fung. p. 544.*

Ad truncos *Alneos* in Germania et Suecia. Inaequalis saepe interruptus, durus excarnis. Pori subobliqui, acuti. *Fr.*

109. *salicinus*, suberosus late effusus undulato-rugosus glaber cinnamomeus, poris rectis obliquisque. *Syn. fung. p.* 543.

Interius *Salicum* vetustarum investit, aliquando interruptus, margine adpressus, nunquam reflexus, pileo hinc obliterato. Substantia interna ex tubis stratificata. Superficies per intervalla prominet et in parte obliqua poros minutos profert, in recta, hiantes. Tubi, uti in 6 sequentibus horizontales seu depressi.

110. *scalaris*, glaber ligneo-pallidus, undulato-interruptus, tubis perpendicularibus per intervalla altioribus, nonnullis hiantibus, poris mediocribus crassiusculis.

In Helvetiae confinibus ad aquaeductum detectus a D. Gay.

Longitudine et latitudine inaequalis, tamen plerumque 1½ unc. latus, sed pro parvitate sat crassus, 3-4 lin. Color aquose fuscescens. Ligno non valde adhaeret. Substantia sicca. Margo tenuis inaequalis. Tubi in superficie hiantes.

111. *undatus*, late effusus tenuis ligneo-fuscescens submembranaceus, superficie undulato-interrupta, poris minutissimis obliquis. *Tab. XVI. f.* 3.

Lectus a D. Chaillet supra tubum aquaeducentem, sed destructum et putridum, quem late obtegit.

E Matrice facile evelli potest. Junior vi-

detur albicans, saltem margo speciminis mei talem habet colorem. Totus glaber, et vix lin. crassus.

Obs. Ab eodem mycologo, juxta speciem descriptam, alius et colore similis fungus repertus est et mecum communicatus, qui vero superficiem fere habet unitam, et poros, vix visibiles, omnes rectos (Polyp. *orthoporus*), quique aut junior est, aut aliam habuit positionem in tuborum directionem non ita agentem.

112. *frustulatus*, difformis subcrassus undulato-interruptus albido-pallens, tubis longis tenuissimis; poris obliquis rotundis, aliis hiantibus, subiculo vix ullo.

Etiam prope Neocomium, mense Majo, in cupa seu cisterna, quam interne totam explevit, observatus, hinc, uti duae antecedentes species, similem amare videtur locum, sed haecce magis humidum, quare substantia ejus est laxa, facile in frustula collabens et color albicans. Forma fere est Polyp. *salicini*.

* *cereus*, interruptus, primo albidus deinde sordide flavescens, tubis horizontalibus parallelis, orificiis oblique truncatis.

Poria cerea, *Hoffm. Veget. Hercyn. subterran. p. 16. t. 11. f. 3.*

In Fodinis Hercynicis 130 *Lachter* et altius a terra remotis, in vetustissimis, fere destructis lignis collectus. — Forma et colore

cum antecedente exacte convenit, sed locus natalis omnino diversus est, et pori etiam parum differre videntur.

113. *Stalactites*, magnus conglomeratus tuberculosus, superficie interrupta, pororum fasciculis aliis horizontalibus, aliis perpendicularibus.

Poria Stalactites. *Hoffm. l. c. p. 11. t. 7.*

In fodinarum Hercyniae columnis ligneis semiputridis gregatim adnasci amat. Cespites plerumque efformat ex multis inter se connexis superimpositis glomerulis subglobosis, et angulatis poris undique exasperatis, tubulis effusis conspicuis parallelis dimidiato-confluentibus. Substantia parum cohaeret. Color varius: ex albido rufus, umbrinus, subfuscus, ferrugineus, hinc inde per tubulorum spatiola sanguineus. *Hoffm.*

114. *cruentus*, crassus glaber duriusculus, superficie undulato-interrupta, tubis obliquis, poris inaequalibus. *Tab. XVI. Fig. 4.*

P. *incarnatus*, effusus coriaceus persistens glaber incarnatus, poris inaequalibus. *Fries p. 379. Decand. Flor. Gall. 6. p. 40.* (exclus. Synonym.)

Ad ligna Pini, aestate, in Helvetia et Suecia.

Obs. Quoad formam cum antecedentibus convenit, sed colore et loco natali differt, nec late effusa est haecce species.

115. *niskiensis*, effusus subcoriaceus carneus demum sordide rubellus, margine subinflexo, tubis depressis veluti repentibus (obliquis). †

Poria incarnata. *Consp. fung. p.258.* exclus. Synonymo.

In Agro Niskiensi in Lusatia provenit, parcior, in cortice abietino, in sylvaticis humidis. Vere et autumno. Descriptio desideratur. A Poria mea *incarnata* certe diversus.

116. *incrustans*, latissimus spadiceus margine erecto cristato, poris variis plerumque obliquis.

P. obliquus. *Fries Syst. p.* 378. *Syn. fung. p.* 548.

In Suecia ad truncos, aestate.

Durus, contiguus, integros truncos saepe incrustans, 2-4 lin. crassus, in perfectis margine peculiari sed spurio (?) cinctus. Junior pallidus, demum brunneus, tandem niger. Tubi totum fungum constituunt, pori varii, passim promimuli, etiam pentagoni, integri. *Fr.*

117. *unitus*, suborbicularis spadiceus opacus, margine depresso glabro, poris minutis subinconspicuis rectis aequalibus, aliis obliquis sublinearibus sulcatis.

Hab. in montibus Vogesorum, in lignis abietinis, 3 unc. fere latus, 2 lin. crassus, placentaeformis, superficie unitus, tubis occultis.

118. *subspadiceus*, effusus tenuis albido-fus-

cus, margine tenui byssino albo, poris minutis inaequalibus. *Fries*, *p.* 378.

In Suecia ad truncos dejectos Fagi. Tubi curti, recti, membrana juncti.

119. *umbrinus*, longitudinaliter plerum effusus umbrinus opacus, margine glabro, tubis rectis, poris aequalibus minutissimis.

Lectus prope Beauvais, in Gallia, ad truncos caesos Ulmi campestris a D. *Graves*.

Substantia est sicca duriuscula. Spithamam fere longus, unc. 1-2 latus, 1-3 lin. crassus, intus ferruginosus in fungo minus adulto. Pori omnes inaequales, sed in superficie inaequali, pro more, parum obliqui sunt. Margo est acutus tenuis, pilei vestigium sistens.

β? *humosus*, late effusus glaber fusco-nigricans opacus intus ferrugineus, poris parvulis parietibus tenuissimis connexis, ore inaequaliter prominente, saepius denticulato.

Hab. prope Angers. ½ spithamam longus, 1½ lin. crassus. Pori congesto subflexuosi. Ob poros forte distincta species.

120. *tristis*, parvulus angustus fusco-nigricans resupinatus, margine (pileo) tenui brevi inflexo, subtus fusciis linearibus obscurioribus variegato, poris cribrosis aequalibus crassis.

Prope Neocomium ad corticem quercuum. Vix unc. magnus, ½ lin. crassus, ferrugineo-griseus. Pori majusculi, obtusi. Inferne sub-

tomentosus, zonis ferrugineis umbrinisque distinctus.

121. *brunneus*, tenuissimus inaequaliter effusus rufo-brunneus, margine vix ullo glabro, poris majusculis 4-6-gonis magnitudine inaequalibus acutis.

Vere in lignis *abietinis*. Chaillet. 2 unc. longus, ½ latus, crustaeformis, nitens. Pori cellulaeformes, nec tamen uti in *Xylomycis*, quibus parum affinis est haec species.

* *rufus*, effusus coriaceus rufus, poris minutissimis rotundatis. *Schrad. Spicil. Flor. German. p. 172.* sub Boleto.

Ad cortices putridos in Germania. Pori subrotundi, 2 lineares, acuti.

122. *nitidus*, effusus confluens flavus in ambitu sterilis sublobatus pallidior, poris rectis subrotundis. *Fries Syst. p. 379.*

Poria *nitida*, incarnato-flavescens nitida, margine glabro subnitido. *Obs. Mycol. 2. p. 15. t. 4. f. 1.*

In Germania, Suecia et Gallia, ad truncos Fagi et Salicis, autumno. Margo junior pubescens. Superficies nonnunquam ob locum irregularis, plerumque vero applanata est. — Pori membrana arcte adnata coriacea glabra juncti (?). *Fries.*

123. *xanthus*, elongatus immarginatus luteus, poris minutis subrotundis. *Fries Obs. 1. p. 128.*

Ad asseres putridos. Totus e tubis subhorizontalibus constitutus, 2-3 unc. longus, 2 lin. crassus. *Fr.*

124. *mellinus*, late effusus mollis, demum totus glaber, poris compressis, marginibus inter se vario modo intertextis. †

Ad trabes putridas, hyeme pluvioso. Latitudine palmari, ab initio parum albidus et margine tomentosus. Pori primo quidem subregulares, sed demum pulchre intertexti subdaedalei.

125. *versipellis*, crustaceo-effusus, ab initio tomentoso-ferrugineus, in vetustis glaber, poris majusculis obliquis lacero-dentatis integrisque.

Prope Turinum crescit ad ligna exsiccata.

Medium quasi tenet locum inter Polyporos et Sistotremata.

126. *cribrosus*, ferrugineus opacus sublato effusus, margine tenui tomentoso, poris inaequalibus inaequaliter subprominulis, substantia interna cribrosa tomentosa concolore.

Boletus fuliginosus. *Schleicher. Catal.*

Ad ligna in Helvetia propé Bex. Species sat singularis. Pori non profundi, quasi superficiales, substantia tamen tota, fungo fracto, ex tubulis s. poris composita videtur, nam foraminulosa est, particulis albidis intermixtis. Ligno arcte adhaerens, et cum eo quasi connatus, margine tenui tomentoso. Color griséo-

seo - cervinus in meo specimine, nec fuliginosus.

Colore rubello, purpurascente. (P. cruentus, niskiensis).

127. *peltatus*, orbicularis coriaceo - tomentosus lutescens, inferne peltatus albicans, poris centralibus subinaequalibus.

Boletus Fibula. *Sowerb. t. 387. f. 8.*

Provenit, in Anglia, in cellis ad portas crescens. Exacte orbicularis, margine lato sterili, subtenuis. Pori majusculi, breves, in medio concentrici. Poria subpedunculata est.

128. *violaceus*, dilute violaceus, in ambitu integer pallidior, poris mediis subrotundis. *Fries*, *p. 379.*

Poria nitida, γ. violascens. *Consp. fung. p. 258.*

Ad ligna pinea in Germania et Suecia. Suborbicularis laevis margine subpubescens. Subiculum membranaceum.

129. *purpureus*, latissimus purpureus expallens in ambitu inaequalis albus, poris mediis inaequalibus obtusis. *Fries l. c. Hall. helv. no. 2274.*

Ad truncos cariosos Fagi. Aestate. Elegans, 4 - 12 unc. longus et latus, saepe interruptus, membranaceus, margine vix glaber. *Fr.*

130. *fusco - carneus*, carnosus fusco - purpureus, margine crasso tomentoso, poris distinctis subrotundis.

Inveni hunc fungum prope Parisios, autumno ad ramos exsiccatos dejectos, sed unica tantum vice, et uti videtur in statu vivo adulto. Recens erat substantia submollis, carnosus fere, margine hinc inde inflexo. Ad 6 unc. fere expansus, ultra unc. 1 latus.

131. *rhodellus*, membranaceus subfugax roseus, margine leviter pubescens, poris subrotundis obtusis. *Fries*, *l. c. p.* 380.

Ad ligna faginea rarior, in Suecia. Albido-roseus, tactu obscurior, 2-3 unc. latus, digito tritus evanescens. Fr. — Ob colorem huc relatus, quamvis duratio obstet.

132. *micans*, tenuis carneo-pallidus, ambitu byssino albicante, poris variis acute angulatis. *Ehrenb. Sylv. Berolin. p.* 30. *Fries, l. c. p.* 383.

In ramis quercinis, prope Berolinum. Suborbicularis, confluens. Pori hexagoni, tenuissimi, margine crenulato.

Colore albicante, subpallente.

133. *incarnatus*, dilatatus totus glaber subcrassus albicans, hinc inde rubro tinctus, tubis tenuissimis sublongis ore laceris. *Syn. fung. p.* 146.

Poria rubella. *Obs. Myc.* 1. *p.* 14.? (subterranea).

Rarius in Hercynia hunc fungum offendi, spithamam fere longum et latitudine palmari,

nec non tres lineas crassum. Margo vix ullus et subiculum tenuissimum, cui adnati tubi dense pressi, sed valde tenues. Pori vix conspicui, sub lente laceri. Tinctura rubella in superficie per intervalla obvia, adventitia videtur. Interne totus albus.

134. *sanguinolentus*, confluens albidus, ad tactum cruentatus, ambitu byssino evanescente, poris parvis aequalibus, demum laceris. — *Fries*, *p.* 383.

Poria *sanguinolenta*, suborbicularis effusave tenera aquoso-alba subhyalina ad tactum cruentata, margine dense byssino niveo demum subevanido. *Consp. fung. p.* 257. (cum ampla descriptione).

Ad truncos varios et terram udam, in nemorosis umbrosis udis, vere in autumnum, in Suecia et in Lusatia superiore hactenus observatus.

Specimina plura conferte nascuntur, orbicularia, dein in crustam latam confluunt. Junior byssinus, dein medio glaber, tandem totus villo obductus (an byssi cujusdam parasiticae initium? *Consp.*) Crassitudine variat. *Fr.* Fungi juniores parvi, 4-6 lin. lati gregarii: vicini deinde paullatim increscendo confluunt ita, ut specimen demum unicum, interdum spithamaeum aut ultra, sed constanter sanguiolentum, efficiunt. *Consp.*

135. *bibulus*, albidus pulvinatus glaber, ex tu-

bulis longissimis fere constans, poris tenuissimis majusculis.

Ad trabes putridas, locis suffocatis semel lectus. 2-3 unc. longus ultra dimidiam crassus, durante aëre humido, spongiae adinstar, aqua repletus. Tubi quoad situm nunc perpendiculares, nunc obliqui: plerumque tamen recti, poris latiusculis, subcompositis.

136. *Medulla panis*, longitudinaliter effusus coriaceus, subcrassus marginatus ubique glaber albus, poris parvis aequalibus. *Syn. fung. p. 522. Fries Syst. p. 380. Jacq. Misc. 1. t. 11.*

Boletus proteus. *Bolt. Fung. t. 166. f. a et b.*

Amat ligna, praesertim fabrefacta, non equidem communis occurrit. Longitudine plerumque 3-4 unciali, unc. 1 latus, 3 lin. fere crassus, distincte marginatus: margine demum libero. Superficies plerumque applanata, tunc pori recti, nonnunquam undulata, tunc hi obliqui sunt, in fungi infantia materie albicante obtecti.

β. cretaceus, longus tenuis, margine depresso brevi glaber.

Boletus versicolor, var. *Sow. t. 387. f. 7.*

In caldariis hinc inde ad tabulas ligneas pineas nascitur, passim ultra spithamam longus, ½ unc. latus, sed vix lin. crassus. Pori densi, minuti, recte obliqui, membranula, fun-

go juniore praesertim, obtecti, obtusi. An hujus loci, Polyporus callosus. *Fries, l. c. p. 381?*

137. *vulgaris*, longe effusus tenuis siccus laevis albus, margine subpubescente, poris exiguis aequalibus. *Fries p. 381.*

Boletus cellulosus. *Flor. Dan. t. 716. f. 1.* B. tunicatus. *Schum.* B. medulla panis *quorundam.*

Ex D. Fries, in Suecia (etiam in Dania et Germania provenit) pervulgatus ad ligna dejecta *pinea*, etiam supra *folia* occurrit, per totum annum. Ad longitudinem usque pedalem effusus, laevis, ½ lin. tantum crassus, nec nisi in frustulis a ligno separari potest. Pori recti vel obliqui. *Fr.*

β. calceus, late effusus, innatus tenuis candidus, poris exiguis longissime hiantibus. *Fries l. c.*

Cum priore. Durissimus margine nullo. Species distincta videtur ob poros hiantes, vix tubulos formantes.

Obs. Sub nomine B. *Medulla panis* diversae species ab auctoribus descriptae sunt. Fungus Schumacheri homonymus, fusco-zonatus est, intus albido-umbrinus, superficie subconcava. (an Bol. *firmus* Spreng.?) Auctores *Consp. fung. p. 256.* sub hac denominatione fungum indicant *terrestrem*, acubus pineis, muscis, etc. interspersum eosque incrustantem, difformem humidum molliusculum,

qui etiam diversus videtur. *Agaricum album terrestre, medullam panis referens.* Mich. Gen. pl. p. 121. t. 63. f. e. non idem cum nostra specie est, nam elliptica subcarnosa undulata utrimque? porosa est; magis adhuc distat sequens:

* *polyposus*, orbicularis convexus tuberculosus albus, radices (ei proprias?) crassas reticulato-ramosas exserens. — *Batar. t. 32. f. A.*

De hoc fungo, qui omnino examen curatius meretur, sequentia Battarra attulit, citans, an recte? Michelii synonymum: in agrorum limitibus locis opacis humidis, et quercubus obsitis, tuberosa quaedam corpora, minutissimis scrobiculis excavata, jacent; tota alba, substantia coriacea, etiam in *radice*, quae polyposa est et alba. Si digito corpus prematur, albedo in carneum colorem mutatur. Latitudine variat. In querceto circa S. Andr. in *Besanigo*, olim lectus.

138. *tuberculosus*, latissime effusus rugoso-tuberculosus primo albus dein pallescens, margine repando, poris rectis obliquisve sublaceris. *Obs. Mycol. I. p. 14.* Poria.

Subterraneus est in fodinis metallurgicis hercynicis. 4-6 unc. longus, 2 latus. Tubercula ad ambitum copiosiora et majora, nunc subrotunda, nunc teretia, nonnulla stipitata.

139. *echinatus*, subterraneus late effusus niveus pulvinatus scruposus echinatus. *Hoffm. veg. subterr. p. 21. t. 8.* sub Poria.

Hab. in trabeculis ligneis semiputridis fodinarum Hercyniae, ultra 100 *Lachter* (orgyas) a terra remotis.

E substrata longe lateque expansa nivea fungosa superficie, pororum tubuli conspiciuntur paralleli, obliterati, etiam extuberant corpuscula solida pulvinata, tuberculis veluti coadunatis subglobosa, vel in cellulas seu foveas depressa, quasi scruposa adsunt spatiola, etiam corpuscula simul pronascuntur rotunda, aculeis seu potius verrucis coniformibus exasperata, echino similia. *Hoffm.*

140. *colliculosus*, coriaceus glaber albido-griseus hinc inde tuberculosus, margine pruinoso-pubescente, poris rectis majusculis subaequalibus.

Boletus tuberculosus. *Decand. Gall. 6. p. 40.* (exclus. synonym.)

Hab. prope Neuchatel ad truncos quercinos. Superficies fungi in meo specimine, inaequalis per spatiola depressa prominens, et tubercula incompleta efformans. Pori tamen non obliqui sunt, satis magni, obtusi subfavoginei, pro forma, juniores materie albicante forte obtecti, griseo-pallentes, opaci, in ambitu albido-pubescentes. Substantia sicca. Tubi intus quasi farinacei, 2 lin. longi.

141. *pertusus*, subregularis albidus glaber compactus, poris subdistantibus aequalibus submagnis.

Hunc legi, initio hyemis prope Parisios ad truncum putridum Quercus *lanuginosae*. Parvulus, 1½ unc. vix longus, 1 latus, subdurus, primo aporus; margine subtomentosus, ceterum glaber; ob poros cupulares regulariter dispositos ore cylindrico distinctos, superficies foraminulosa apparet.

142. *obducens*, late effusus, crassus glaber subnitidus albido-pallens, ambitu glabro?, poris minutissimis aequalibus.

Poria totam Salicem intus obducens. *Schwägrich.*

Specimen a clarissimo Muscologo transmissum non completum erat; fungo forte ligno tenaciter adhaerente, qui recens forsitan albicat, exsiccatus fere gilvus est, seu sordide pallens, ex solis tubis teneribus densis, 1½ lin. altis formatus.

143. *dentiporus*, tenuis coriaceo-membranaceus pallens, margine subfimbriato, poris densis inaequalibus, uno margine prominentibus dentatis.

Hab. in Helvetia. *Schleicher.*

Species in loco natali sat late effusa videtur. Substantia est compacta, sed vix lin. 1 crassa, superficie hinc inde colliculosa et excavata. Color lutescens, subnitidus.

144. *vitreus*, carnosus undulatus aquose albidus subhyalinus, poris minimis. *Fries Syst. p. 381.*

Poria *vitrea*, inaequaliter lateque effusa aquoso-albida hyalina undulata subinterrupta, poris obliquis. *Obs. Mycol. I. p. 15.*

Ad truncos cariosos fagineos, vere et autumno, in Germania, Suecia et Helvetia. Substantia humida. Margo tenuis, villosus, candidus.

145. *versiporus*, dilatatus difformis pallescens subcrassus, poris ab initio forma situque regularibus, dein inaequalibus laceris, aut in dentes fasciculatos prominentibus.

Ad ramos castaneos, sepibus inservientes.

Obs. Sub hoc nomine comprehendo sequentes formas, quae omnes cum matrice arcte connatae sunt;

α. *immutatus*, late et inaequaliter effusus, marginatus glaber, poris integris subobliquis flexuosis, magnitudine formaque inaequalibus.

Spithamam nonnunquam longus, 2 latus, superficie ob corticis sulcos undulatus. Junior fere aporus, laevis. Lin. 1 crassus, 3-4 unc. latus.

β. *sistotremoides*, poris, magna ex parte, in dentes rectos aequales fissis, margine fere obsoleto.

γ. *angulatus*, tubis depressis dimidiato-dentatis fuscescentibus, apice obtuso albicantibus.

Dentes ex semitubulis formati, hinc sulcato-angulati, omnes unum latus respiciunt et ex fusco-pallido variegati.

δ. *deflexus*, poris in dentes tereti-subulatos subfasciculares deflexos laceris.

In eodem specimine observantur pori plus minusve integri, alii sinuosi sublamellosi, plerique vero in dentes commutati, qui etiam in alio specimine apice obtusi, tomentosi sunt.

ε. *lanuginosus*, tenuis ligneo-pallens, margine lanuginoso concolore subevanescente, poris majusculis inaequalibus subflexuosis.

Adspectu non tam rudis est, uti antecedentes tres, sed vix propriam speciem exhibet. Elongatus, sed angustus, levis.

ζ. *farinosus*, tuberculosus farinaceus, margine brevi glabro, tubis densis angustis obliquis, utplurimum hiante-laceris.

Spithamam longus applanatus, sed superficie inaequali, sulcato-tuberculosa; fricatus, praesertim farinaceus est.

Obs. 2. Boletus *vaporarius*, tenuis pallescente-albidus, poris magnis obliquis inaequalibus laceris. *Syn. fung. p.* 546. non diversus videtur, sed sequens, ni fallor, non idem fungus est;

* *incertus*, seriatus, tenuis, siccus albo-pallens, poris magnis laceris. *Fries*, *p.* 382. et *Consp. fung. p* 256?

Ad ligna *Pini*, rarius *Populi*, in Suecia. Sub dio, in Lusatia, promergit e lignis pineis carie emollitis, in sylvaticis paludosis, aestate, durante coelo pluvio. Substantia (subiculum)

valde tenuis, sed tubi longiusculi. Pori grandes, sinuosi, passim laceri, difformes. Primo candidus, demum sordide pallens. *Consp.*

146. *sinuosus*, tenuis secedens glaber tenax albus, poris rotundis obtusis. *Fries*, *p.* 381.

Ad asseres in Suecia. Pori magnitudine mediocres, aequales. Subiculum integrum a ligno separari potest. Odor dicitur acidulus.

147. *Radula*, ex albido pallens subtomentosus, poris inaequaliter prominulis asperis. *Syn. fung. p.* 547. *Obs. Mycol.* 2. *p.* 14. *Fries*, *p.* 385.

Ad ramos et ligna, non valde raro occurrit autumni initio. Forma indeterminata. Substantia subtomentosa persistens, e particulis reciduis regenerans. Forte et prioris mera varietas est.

148. *Cerasi*, orbicularis dein confluens albus margine tomentosus, hymenio sinuoso-poroso, poris laceratis. *Fries Syst. p.* 382. exclus. synon.?

Ad truncos Betulae albae. Sat tenuis, elegans, ligno adnatus. *Fr.*

149. *holoporus*, pallens, subiculo vix ullo, tubulis depressis parallelis, apice subincisis inaequaliter prominulis. *Tab. VI. fig.* 3 *et* 4.

Rarissime in Germania occurrit ad ligna subcariosa, tubulos decumbentes glabros fere solos constituens.

150. *mucidus*, subcarnosus humidus candidus,

ambitu byssino, poris integris subrotundis. *Obs. Mycol. 1. p. 87 — 88. Fries p. 382. Consp. fung. p. 256.* Poria.

Praeamare videtur caudices pineos et abietinos, quas modo aperta, modo subcorticalis, aut intra cavitatum latebras occupat. *Consp.* Latitudine variat et crassitudine. Pori etiam obliqui, angulati et sublaceri.

151. *fimbriatus*, coriaceo - membranaceus albidus, ambitu laciniis teretibus fimbriatus, poris totundis obtusis: marginalibus solitariis. *Syn. fung. p. 546.*

Boletus byssinus. *Schrad. Spicil. p. 172. t. 3. f. 1.* (fungus junior).

Porotheleum fimbriatum. *Fries Syst. p. 506.* (conf. *Mycol. Europ. I. p. 276.*)

Rarius ad ligna et cortices *Quercus*, *Fagi.* Latitudo varia. Margo eleganter laciniatus. Pori centrales, uti in ceteris speciebus inter se connexi sed obtusi vel crassi, integerrimi.

*** Subiculo fere toto tomentoso, aut subobliterato.*

152. *molluscus*, mollis albus pallescens, ambitu lato byssino et subfibrilloso, poris tenerrimis densis inaequalibus. *Syn. fung. p. 547. Flor. Dan. t. 1299.* ex Fries l. c. p. 384.

Ad ligna praesertim pinea; tenuissimus, crustaeformis, margo saepius Himantiae similis. Junior omnino aporus. In adultis pori

etiam subcupulaeformes, sed secum connati et majores sunt, in aliis, forte luxuriantibus, dense pressis, saepeque laceri. Color demum fere ochraceus.

β. fissus, sublate effusus, crassior, poris densis depressis longitudinaliter hiantibus.

Etiam ad ligna, sed magis cariosa, gignitur. Ad tactum mollior, quam α, et margine minus byssino; praesertim vero differt, poris omnibus ad unam latus spectantibus et hiantibus.

γ. epiphyllus, tenuissimus albus, margine lato membranaceo, poris inaequalibus acutis. *Obs. Mycol. 2. p. 15. Consp. fung. p. 259.*

In foliis deciduis, locis suffocatis.

Obs. Denuo hunc fungum nondum reperi, nec specimen circa Gottingam amplius mihi ad manus est, ut determinare quem an species distincta sit, nec ne. Substantia est papyracea, hinc non tomentosa? Auctores Consp. dicunt, quod illa telae ab insecto aliquo artefactae non dissimilis sit.

153. *subtilis*, explanatus membranaceus niveus subnitidus, poris tenuissimis horizontalibus distantibus. *Schrad. Spicileg. p. 173. t. 3. f. 2. Consp. fung. p. 259.* Boletus.

Porotheleum *subtile*, niveum subfimbriatum, poris distantibus demum obliquis. *Fries l. c.?*

Hab. ad cortices arborum putrescentium

in sylvaticis, vel in corticibus muscosis, et Juniperi (in Suecia).

Secundum *auctores Consp.*, longe lateque effusa est haec species. Pori minuti, distantes, plus minusve obliqui (secundum iconem Schraderianam omnes sunt depressi, oblongi sat late dehiscentes) exsiccati rufescunt, ex Schrad. nivei. Quoad D. Friesium, junior subrotundus est, laciniis planis fimbriatus, poris brevibus obtusis; dein late effusus membranaceus subnitidus, ambitu seu margine obliterato, (cujus cl. Schrader nec in descriptione, nec in figura mentionem facit) poris tunc elongatis horizontalibus.

154. *reticulatus*, tenuissimus byssinus fugax albidus, poris subcupulaeformibus pulverulentis. *Syn. fung. p. 548. Nees Syst. t. 29. f. 225.*

Mucilago reticulata. *Hoffm. Flor. German. t. 12.*

Polysticta reticulata. *Fries l. c. p. 385.* *)

Rarior ad truncos putrescentes, ligna pinea. Aest. Recens candidus, dein, pro more, pallens. Margo sterilis videtur nullus, saltem

*) *Polysticta.* Resupinatus, effusus, tenuis, subimmarginatus, poris superficialibus, nullos tubulos formantibus. — Pori etiam distant, sed in superficie laevi, nec in papillis siti. *Fries l. c. p.* 384.

eum in specimine, olim cum ill. Hoffmanno communicato, non observavi.

155. *fugax*, villoso-byssoideus tenuior fuscescens, poris superficialibus submajusculis, dein obsoletis. *Ic. pictae fung. 3. p. 36. t. 16. f. 2.* Sub Poria.

Rarissime ad ligna semiputrida, in Germania. Exsiccatus evanescit et quasi pulveraceus evadit, ad 2-3 unc. effusus. Subiculum fere nullum.

156. *Polystictus*, firmus glaber albus, poris punctiformibus confertis nudis. *Fries, p. 385.* Polyst. corticola.

Ad cortices putridos Populi, Fagi, in Suecia.

Auctor commemorat duplicem ejus statum, α. *populneus*, seriato-elongatus confluens, crassior adhaerens tuberculosus, margine spurio tumido villoso, punctis rotundis aequalibus; β. *fagineus* latissime effusus adnatus tenuis laevis candidus, ambitu extenuato, punctis integris.

157. *farinellus*, pulverulentus tenuis fugax albus, poris inaequalibus. *Fries p. 384.* †

Ad ligna Fagi in Suecia. Exacte refert Thelephoram *cretaceam* (seu *Sambuci*). Crusta pulverulenta tenuissima dispersa, trita evanescens. Poris subrotundis et variis integris tenuissimis nudis dignoscitur. *Fr.*

158. *terrestris*, tener albo-rufoque glaber,

margine subtomentoso, poris oblongis subobliquis. *Ic. pict. fung. 3. Fasc. 3. p. 35. t. 16. f. 1.* sub Poria.

Autumno ad terram humidam rarissime inveni. Interdum interrupte effusus est. Poriae aliique Pilomyci *resupinati* rarissime ad terram nudam proveniunt.

Obs. Boletus *terrestris*. Decand. Flor. Gall. 6. p. 39. supra lapides, in monte Jura, locis humidis umbrosis collectus, alius, mihi ex autopsia ignotus, fungus est, fugax, totus byssoideus, parcas proferens cellulas, quae demum parum rufescunt.

159. *xylostromeus*, lignum penetrans, albidus mollis, membranaceo - tomentosus subcompactus, poris subrotundis obtusis impressus.

Ad ligna cariosa. Verosimile videtur, quod idem fungus sit ac Xylostroma *candidum* (Mycol. europ. I. pag. 93.), sed nunc fructificans. Interea pori non profundi, et eadem natura sunt ac subiculi: hoc forma est varium, interruptum tenue, vix unc. latum. Conf. *Sowerb. Fung. t. 387. f. 10.*

160. *laneus*, suborbicularis niveus, subiculo toto velutino, poris utplurimum per intervalla provenientibus horizontalibus, superioribus hiantibus. *Tab. XVII. Fig. 3.*

Repertus a D. Chaillet, prope Neocomum, inter corticem et lignum Pini *Abietis*. Color laete albus, subnitidus. Substantia tota ex bys-

so molli formata. Pori, hinc inde, in superficie conglomerati, sed in margine superiori magis sibi contigui, tenerrimi, in parte interrupta, rotundi sunt et aequales, ceteri, et majore in parte sunt repentes, ac pro more fissi; omnes inter se connati, nec distantes, quales B. *subtili* Schrad. attribuuntur.

161. *concentricus*, late effusus candidus totus byssinus, poris per intervalla concentrice aggregatis minutissimis ore rotundis.

Boletus latus. *Sowerb. t. 387. f. 9.*

Occurrit in *Anglia* locis suffocatis supra assulas. Substantia subiculi, quoad auctorem, eadem est, ut in Himantia *plumosa*, sed compactior. Pori superficiales videntur recti.

162. *insularis*, terrestris tomentosus lutescens, poris per intervalla conglomeratis rotundis. — *Sowerb. l. c. f. 5.* Bol. terrestris.

Repertus, in Anglia, ad terram, in sylvis. Unc. 1 - 2 latus, applanatus, ex filis intertextis compositus, rarius fertilis videtur.

163. *Racodioides*, latissimus, parte sterili lata mollissima lutescente, subcervina, porifera glabra subferruginea, poris obtusis aequalibus.

Hab. in Gallia, prope Rouen. *Béheré*.

Species sat memorabilis, sistens membranam, non equidem villosam, sed alutaeformem, vix lin. crassam opacam. Pars, quae poros profert, est compacta glabra, colore ob-

scuriore distincta. Pori regulares sat magni, crassi seu obtusi.

164. *Vaillantii*, byssinus costatus albidus, poris hinc inde conglomeratis majusculis, utplurimum oblongis irregularibus. *Fries Syst. p. 383.*

Ad truncos vetustos et supra terram. Membrana lata effusa, tenuis byssacea contigua, hinc inde costis percursa et radicata. Bol. *macrorhiza*. Achar.

Obs. Cl. Auctor suum ad fungum adduxit Vaill. Bot. Par. t. 8. f. 1. *Bol. Vaillantii.* Decand. Flor. Gall. 6. p. 58. *Agaricum cryptarum.* Beauv. Annal. du Museum 8. t. 346. t. 57. f. 2 — 3., qui vero in cellis et cryptis nascitur, nec radicatus.

165. *erosus*, mollis velutinus dehiscens, tubis longis cylindricis pallentibus, margine laciniato: laciniis longissimis erosis albis. B. *hybridus. Sowerb. t. 289.*

Crescit in Anglia, sub tabulis ligneis putrefactis, quibus in latitudinem plurium unciarum adhaeret. Subiculum in ambitu late ramoso-fimbriatum, byssinum. Auctor in *tab. 387. f. 6.* varietatem depinxit, fasciculum floccorum tubis longis terminatum, exhibentem. An idem fungus, an antecedens, saltem cum eo cognatus est?

166. *rangiferinus*, subiculo ramosissimo: ramis anastomosantibus velutinis, poris? cellulosis

magnis, demum spadiceis pulverulentis?

Bol. Medulla panis. *Sowerb. t. 326.*

In cellis ad ligna putrescentia, aut in sylvis umbrosis, locis suffocatis (ad terram?) ab auctore observatus est singularis hicce fungus, qui forsitan ad genus *Xylomyxon* attinet. An pori distent? ex icone difformes sunt, intus rugulosi. Recens totus albus; 2 unc. fere magnus.

† *Species subterraneae et fodinales incertae, plerumque abnormes.*

* *Effusae aut pulvinatae, superne porosae.*

167. *corallinus*, minutissimus glaber albus, circumdans. *Humb. Flor. Friberg. Specim. p. 98. t. 3. f. 11.* sub Boleto.

Omnium tenuissimus (ex icone 2 - 3 lin. magnus), membranaceus, parasiticus in Rhizomorpha *subterranea*, in ramulos obducit, habitumque Flustrae *foliaceae* referens.

168. *Patella*, membranaceus orbicularis concavus albus, superne perforatus tuberculosus. *Humb. l. c. p. 97.*

Superficie inferiore saxo adhaeret. Explanatus, subconcavus, margine repando inflexo, tuberculisque omnibus perforatis. *H.*

169. *Botryoides*, subglobosus niveus, tuberculis fimbriatis aut cristatis obsitus. *Humb. l. c. p. 103. t. 3. f. 9.*

Saxo lignoque adnascitur. Mollis, splendens, 1 - 2 uncialis. Pori tenuissimi, subangu-

lati, sed tuberculorum intervalla foramina habent majora, tubulis rotundis divisa. *H.*

170. *Lycoperdiformis*, albus globoso-hemisphaericus, undique porosus.

Poria pulvinata. *Scop. Plant. subterran. p. 106. t. 28.*

Rarissime occurrit in fodinis *Königsberg.* Lycoperdon videretur, nisi ubique punctatum foret. Substantia interna, fibrosa, sicca, alba. *Sc.* — Color niveus, lumini expositus ex fulvo lutescit. *H. p. 96.*

171. *Pera*, erectus obovatus truncatus albus, disco poroso.

Boletus fodinalis. *Humb. p. 99. t. 2. f. 8.*

Fungus substipitatus uncialis, albus, flavescens glaberrimus, pileo infundibuliformi, margine undulato, superne poroso: poris confertis saepe confluentibus. Substantia carnosa, mollis. *H.*

172. *Clavus*, caulescens durus, capitulo subgloboso undique poroso fusco-zonato, inferne flavo, pororum tubulis cum pileo parallelis.

Boletus paradoxus. *Humb. l. c. p. 103. t. 3. f. 15.*

In fodinis Saxoniae copiose provenire dicitur. Quoad iconem, fungum diceres, caule crasso sublongo et capitulo globoso donatum; verum ex descriptione ejus forma sequens est: acaulis, pileus ligno adhaeret, superne orbicu-

latus, fuscus, rugosus, zonatus: zonis concentricis, ex fusco nigricantibus; inferne flavescens. Corpus, ceterum, exhibet pulvinatum, ovatum, pororum tubulis ad perpendiculum dependentibus.

173. *turritus*, caulescens erectus, strato uno alteri imposito, disco explanato subconcavo poroso. *Humb. p. 101. Scopol. p. 106. t. 29. f. 1.* sub Poria.

In fodinis Schemnizensibus aliisque haud rarus. Nunc ex diffusa basi plurimi oriuntur rami diversae longitudinis, nunc vero lobus unus alteri quasi impositus adsurgit in turrim, cujus apex explanatus, et poris minimis pertususus est.

β? *stromaceus*, corpore explanato fusco, stipitibus difformibus concoloribus, pileo dimidiato vel planiusculo albescente, poris minutissimis. *Willd. Humb. l. c. p. 102. in nota* (B. difformis). Poria turrita, var. *Scop. p. 107. t. 29. f. 2.*

Corpus (subiculum?) late expansum, rugosum, fuscum aut atro-rubens, stipitibus numerosis concoloribus obsitum. Pileus magnitudine variat, inferne fuscus, superne albus, stipite vix latior. *W.*

174. *Encephalum*, explanatus pulvinatus gibberosus, colore fusco alboque mixtus. *Hoffm. veget. subterran. p. 18. t. XII.*

In fodinis Hercynicis ligno semi destruc-

to adnascitur; in varios sulcos undulatos divisus, cerebri figuram non male imitans. Ab initio formam habet rotundam placentae. Subinde intumescit, tunc corpuscula tuberacea majora fiunt, gibberosa et sibi super imposita. Ab unciali usque ad pedalem latitudinem et altitudinem extenditur, colore extus intusque vario. *H.*

175. *Cephalotes*, magnus subrotundus lacunosus tuberculosus albido-cinereus, poris rarioribus. *Obs. Mycol.* 2. *p.* 15-16.
β. minor, spadiceo-niger. *Obs. l. c.*

Iisdem in locis cum priore provenit, sed forma magis inconstante est. Substantia carnoso-suberosa, laevis. Superficies ubique lacunis et tuberculis inaequalis. Ab unc. 3 ad spithamam latus, et vix unc. 1 crassus.

176. *venosus*, explanatus flavescens, margine inflexo, superne papillaceus et porosus, inferne venosus. *Humb. l. c. p.* 100. *t.* 3. *f.* 12.

Ligno saxoque adhaeret, sed rarius occurrit, latitudine unciali. Membranaceus ex albo flavescens, margine albidiore reflexo. Pori rari, solitarii. Venae, quae in superficie inferiore adsunt, ex centro nascuntur et anastomosant et nigro-fuscae sunt. Species, quoad genus dubia, videtur.

177. *filamentosus*, pulvinatus niveus, superne perforatus, subtus filis tenuissimis laxe intertextis sericeus *Humb. l. c. p.* 95. *t.* 3. *f.* 4.

Lobatus, polymorphus, 1 - 2 pollicaris, substantia mollissima. Superficies infera plana, nitens ex fibris sericeis laxe contexta. Auctor etiam varietatem, stipite laterali brevissimo instructam, commemorat.

178. *Voluta*, gregarius convoluto - difformis integer, superne (?) villosus.

Poria difformis. *Scop. l. c. p. 105. t. 26.*

In *Pacherstöllen.* Totus albus, simplex et aggregatus, diversimode figuratus, non fasciatus, saepius Usneae *radiciformis* (Rhizomorphae) ramulis perforatus. *S.*

** *Pileo dimidiato conformi, subtus poroso, stipite passim laterali.*

179. *striatus*, explanatus glaber striatus, margine lacero reflexo pulverulento, inferne poroso. *Humb. p. 102. t. 4. f. 19.*

Saxo adnascens, forma sat regulari, fere triquetra distincta, colore ex albo cinerascente. Striae longitudinales, parallelae. Magnitudo uncialis. *H.*

180. *Ostrea*, subtriqueter simplex, squamis imbricatis tectus, subtus porosus, margine crenato - lobato. *Scop. p. 105. t. 24.*

Solitarie crescit, non hispidus, sed tectus squamis, ut Ostrea *edulis*, subtus exiguis porulis donatus. *S.*

Obs. Ex adnotationibus meis etiam sequentem affinem fungum, rarissime prope Parisios in sylvaticis observatum, indicare licet:

* *farinaceus*, pileo pulvinato molli hepatico, tubulis ex argillaceo subfuligineis, oris minutis, stipite mediocri farinoso-squamuloso.

Substantia est tota molli, insipida, alba et immutabili. Stipes 3 unc. feres longus, ultra 4 lin. crassus, squamulis concoloribus, vix perceptilibus, tectus; basi subcaerulescit et apice parum virescens.

181. *Scopolii*, magnus submembranaceus lobatus liber superne (?) porosus, margine sinuato-lobato, petiolo laterali foliaceo seu dilatato-membranaceo.

Poria membranacea. *Scop. p. 106. t. 28. f. 2.*

In Fodina St. Antonii de Padoa repertus. Simplex et imbricatus. Pori irregulares, et secundum auctorem in parte supina occurrunt, quod in speciebus perfectis aut subcompletis omnino peculiare est.

182. *Humboldtii*, gregarius parvus, zonis albis, rufis et ex rufo lutescentibus pictus; stipite tereti longiusculo.

Boletus versicolor, var. stipite laterali longo zonato. *Humb. p. 94. t. 2. f. 5.*

Lectus, columnis ligneis adnascens, prope Gränitz, rarius. Mirandum certe est, fungum in tenebris nascentem, talibus (in phrasi expressis) coloribus ornatum esse. *H.*

Obs. Ob stipitem manifestum, qui non pars pilei elongata vel compressa videtur, pul-

chellum hunc fungum, a Polyporo *versicolori*, cujus var. *subterranea* a Scopolio in tab. 25. picta est, specie diversum puto, etiam coloribus pulchrioribus et multo variis pictus est.

183. *Brownei*, superne rugosus fuscus, zona marginali nivea cinctus, inferne flavescens, poris minutissimis. *Humb. l. c. p. 101.*

Ligno adhaeret copiose in fodinis Saxoniae, latitudine 2 - 3 unciali. Stipes lateralis, brevis, dilatatus. Tubuli obliqui. Pileus convexus. *H.*

Obs. Boletum hunc fodinalem elegantissimum nomine *Browni* ornavi (dicit ill. auctor), qui, teste Dillenio, olim plantas subterraneas in fodinis comitatus Herefordiensis, perscrutatus est.

*** *Species effusae, complicato - lobatae, difformes.*

184. *foliaceus*, lobatus submagnus, lobis adscendentibus superne hirsutis. *Scopol. p. 104. t. 22. f. 1.* sub Poria.

Petiolus lateralis brevis. Color superne albidus rufescens, inferne pallide flavus, margine albus. Pori angulati. *S.*

185. *peltatus*, magnus difformis varie lobatus, lobis adscendentibus, tubulosis. *Scop. p. 104. t. 28.*

Superne albus et hirsutus, subtus flavescens porisque tenuibus pertusus. Loborum apices Lich. *canini* peltas aemulantur. *S.*

186. *byssinus*, latissimus difformis, superficie et margine varie lobatus; lobis nonnullis poruliferis.

Fungus byssinus. *Scopol. subter. p. 113. t. 40.*

Longitudine semipedalis, superficie una ligno firme adhaeret, alia elevatur in lobos diversimode figuratos. Substantia fomitis igniarii instar composita. Lobi aliqui, in ambitu, porulis minutissimis obiter pertusi sunt. *S.*

**** Cladoporus. *Pileus* carnoso-coriaceus, ramoso-lobatus, cum caule confluens, *poris* undique obsitus.

187. *ramosus*, fragilis lutescens, caulibus numerosis incrassatis diviso-lobatis.

Boletus ramosus. *Bull. Champ. p. 349. t. 418. Syn. p. 549.*

Rarius ad trabes putrescentes in lapidicinis aliisque cryptis, in Gallia, lectus. Latitudine pedalis, intus albus poris punctiformibus.

Obs. Bulliardus dubium hunc fungum, ut varietatem B. *imbricati* considerat; Sowerbeus vero pro B. *citrini* aberratione habet; hoc vix probabile videtur, cum duo hic Polypori ad maximas et latissimas pertinent, et tantummodo in arboribus adhuc vivis crescunt. — Inter Merulinos (*Gomphus*), Hydneos (*Hericium*) et praesertim Helvellaceas (*Clavaria*, etc.) nonnullas dari species, quae acephalae, ramosae et clavaeformes sint, nemo nescit, hinc in hac

tribu tales quoque existere, patet, et B. *ramosus* exemplum revera praebet, qui etiam ob eandem causam, ut genus peculiare sejungi posset; cum vero a paucis observatus, nec bene examinatus, et sub dio crescens nondum repertus sit, ejusque origo et causa structurae ac locus adhuc in dubio remanent.

LXXII. Boletus. *Pileus* carnosus, pulvinatus. *Tubi* inter se leviter cohaerentes, pileo contigui, (nec cum eo connati).

Boleti, sensu strictiori sumti, a Michelio sub nomine *Suilli* a Polyporis primo separati, consociationem specierum efficiunt naturalem. Omnes enim terrestres sunt et carnosi, eorum *Stipes* plerumque longus est, sed etiam brevis, tunc crassus, fere ventricosus, praesertim juniorum; in nonnullis annulatus, seu velatus; in sat multis reticulatus, praesertim in apice, a tubis et poris obliteratis ac decurrentibus, uti videtur, ortus, intus solidus. *Tubi* basi clausi, inter se leviter cohaerent, et a pileo facile secedunt, plerumque longi, discolores, ac sporulas, ab initio thecis minutis inclusas, sat copiosas secernunt. *Pileus* integer, plerumque convexus (pulvinatus) et crassus, nec ullis zonis distinctus; ejusque substantia magis mollis, quam compacta, albicans aut flavicans, rubescens, et, in nonnullis, ad aëris contactum illico in colorem caeruleum, vel caeruleo-virescentem abit, cujus phaenomeni ratio nondum satis explicata est.

* Velati; *stipite basi volvato, aut apice annulato: annulo distincto.*

1. *volvatus*, pileo laevi subviscoso griseo-splendente, subtus albo, poris confusis sublaceris, stipite concolore, basi volvato. *Tab. XVII. f. 1.*

Mense Aprili, in sylva, prope Mans in Gallia, singularis haec species detecta est a Prof. Cauvino, qui eum sub nomine Hydni *corallini* transmisit, sed hactenus 6 - 8 individua, nec demum invenit. Secundum ejus observationes, pileus subtus obsitus est papillis, similibus sic dicto *Flori Ferri* (Tofus calcareus), aut, oculo inermi, Isidium *corallinum* referentibus; sed non insecta aut vermiculos in speciminibus offendit, qui ea corrodere et tubos difformes reddere potuissent *).

---

*) In specimine sicco, ad quod icon illustrata est, (ubi color vero nimis flavus expressus est) poros vidi in margine pilei subanastomosantes, hinc inde laceros, illi vero qui medium occupant, nullam formam distinctam, forsitan ob nimiam compressionem, habebant. Pileus non valde carnosus, imo tenuis. Volva vero (quod sat rarum quid est, extra Agaricorum familiam,) adest manifesta, cujus particulae, ut in Amanitis, in pilei superficie, post ejus evolutionem, remanebant. Quod ad hymenii formam pertinet adducere potest, D. Fries in suo Syst. Mycol. p. 389. et Obs. Mycol. 1. p. 120, Boletum descripsisse, cujus tubuli etiam dentato-gyrosi sunt.

2. *annulatus*, pileo viscoso flavescente aut fusco, unicolore, aut rufo-virgato, subtus luteo, stipite annulato. *Syn. fung. p. 503. Schaeff. t. 114. Bull. t. 332. Flor. Dan. t. 1135. Nees System. f. 204.*

Boletus luteus. *Lin. Sowerb. t. 265. Fries Syst. p. 386.*

Autumno in sylvis, sed non equidem communis, occurrit. Annulo manifesto membranaceo distinctus. Stipes subtenuis, primo cum annulo albicans, dein pileo concolor, apice punctis scaber. Variat haec species poris subdecurrentibus, ac annulo parvulo basi rubicundis: B. *decurrens.* Schumach. Flor. Saelland. p. 374., nec non pileo umbonato, aurantio ferrugineo striis obscurioribus: B. *elegans.* Schumach. l. c.

3. *velatus*, gregarius, pileo viscoso umbonato lutescente-subfusco, poris majusculis convexis angulatis obscurioribus, velo mucoso obtectis, stipite longiusculo subtenui: annulo evanescente brevi. *Tab. XX. fig. 1-3.*

B. *flavidus*, pileo viscoso sordide flavo, tubulis adnatis angulatis sordide flavis, stipite tenui laevi, annulo viscoso. *Fries l. c. p. 387.?*

In pinetis Sueciae, Helvetiae et Vogesorum crescit, praeamans loca umbrosa subhumida, et sphagnosa.

Stipes basi saepius incrassatus. Pori irregulares, subdecurrentes, ab initio velo viscoso

obtecti, quod, fungo adulto, in stipite ut macula fusca remanet. Pileus tempestate praesertim humida, viscosus; colore flavo, substantia immutabili.

4. *collarius*, pileo glabro depresso expallente opaco, tubis longis densis, poris majusculis, stipite subbrevi glabro, apice reticulato, annulo tenui angusto.

Hab. in Gallia meridionali, prope Barcelonnette, ad ripas rivulorum, ubi lectus et delineatus a *F. Petit.* strenuo feliceque fungorum indagatore.

Stipes subtenuis, 4 lin. crassus, unc. 1 - 2 altus cylindricus, deorsum laevis. Annulus parvus, tamen distinctus, subreflexus. Tubi longi, convexi, decurrunt poris inaequalibus. Pileus 2½ - 3 unc. latus, late nec tamen profunde depressus, carne immutabili, molli.

†† *Denudati* (et *Retipedii*). *Stipite nudo, laevi aut reticulato (in aliquibus subcortinato).*

5. *circinans*, gregarius, pileo viscoso subrepando crassiusculo flavido, subtus luteo, stipite breviusculo punctato - scabro. *Syn. fung. p. 505. Schaeff. t. 115.* et *t. 123. Nees System. 2. p. 215. f. 205.*

B. *granulatus*, pileo glutine fusco secedente collinito, tubulis majusculis adnatis subsimplicibus luteis, stipite punctato - scabro. *Fr. Syst. p. 387.* (secundum quem, est B. *granulatus.* Lin. Spec. pl. 2. p. 1647.)

β. *leptopus*, pileo crasso viscido, stipite brevissimo tenui, punctis rubris notato. *Mich. gen. pl. p. 128. t. 69. f. 1.* (Locis montanis, Nov. — Dec., in Italia, provenit.)

γ. *lactifluus*, pileo fusco-badio, poris decurrentibus lactifluis, stipite laevi submaculato. *Sowerb. t. 420.* (Vix adultus videtur. Succus, e poris exudans, flavus est. Odore Agarici *Ulmarii*. In Anglia occurrit).

Aestatis fine (α) in sylvis, praecipue *Pinetis*, saepius circinnatim aut seriatim, aliquando solitarie crescit. Stipes subscaber, duriusculus, interdum unicolor seu absque punctis nigris invenitur. Pileus livide cinnamomeus, carne immutabili, quae tamen sub cute aliquando leviter caerulescit. Sapor acescit.

6. *bovinus*, pileo subviscoso gilvo, tubulis adnatis compositis e griseo-flavis, dein ferruginantibus, stipite laevi. *Fries l. c. p. 388.* †

B. gregarius. *Flor. Dan. t. 1018.* et *B. circinnans. Consp. fung. p. 239.* (ex Fries.)

In pinetis borealibus vulgaris, et *verus B. bovinus.* Linnaei dicitur, hinc non authorum, qui sub hoc nomine diversas comprehenderunt species. Interea ab antecedente non valde differre videtur.

Stipes glaber, subtenuis, 2 unc. longus. Pileus prioris tenuior, planiusculus, 2 unc. latus: carne alba, immutabili. Tubuli 2-3 lin. longi, leviter decurrentes, poris angulatis mag-

nis, et ex 3-4 minoribus compositi. Sporulae pallide ochraceae. *Fr.*

7. *brachyporus*, pileo leviter convexo straminneo ruguloso compacto, tubulis brevissimis subdecurrentibus flavis: ore flexuoso crassiusculo, stipite duriusculo pallide fuligineo.

Reperi hunc fungum in *Alnetis*, locis umbrosis, sub finem autumni, cui stipes, qui ½ unc. crassus erat, deorsum attenuatus, saepe curvatus. Tubi fere superficiales, vix lineam longi. Pileus latitudine palmaris: carne subcyanescente, sapore acidà. Sequenti valde affinis videtur.

8. *lividus*, pileo convexo-plano glabro: carne lutea virescente, tubulis decurrentibus brevibus luteis, stipite laevi. *Fries Syst. p. 389. Bull. Champ. p. 327. t. 490. f. 2.* (Ex Fries).

Locis etiam provenit humidis paludosis. Stipes subgracilis, deorsum parum attenuatus. Pileus tenuis, demum depressus, ex fuligineo-cinereo rufescens. Tubi ore aequales. *Fr.*

9. *piperatus*, subparvus, pileo flexuoso cinnamomeo, poris majusculis subdecurrentibus rufo-ferrugineis, stipite basi intusque flavo. *Syn. fung. p. 507. Batsch El. fung. t. 25. f. 128.* (B. ferruginatus). *Sowerb. t. 83. Bull. t. 451. f. 2.* (fig. sat mala).

In sylvis frondosis et pineis, passim quoque in ericetis, aestate — autumno, reperitur haec species, facile distinguenda, sapore urente,

te, stipite fracto succum luteum stillante et colore. Pileus formam submutat et 1½ unc. vix latus est.

10. *mitis*, gregarius aut subcespitosus insipidus, pileo undulato, stipite cylindrico subflexuoso unicolore ferrugineo-rufo, poris majusculis compositis.

In Vogesorum sylvis pineto-frondosis, praesertim inter Ericas, vulgaris. Pileus, tempestate humida, viscosus, aëre sicco, nitens et glaber. Colore cum B. *piperato*, parum, at magnitudine formaque sat convenit, sed sapore non acri, etc. ab eo discrepat; nec stipes succulentus et interne flavus. *Mougeot.*

11. *guttatus*, pileo repando subrubiginoso, squamulis pilosis guttato: carne citrina immutabili, poris majusculis cervinis, vel pallide griseis, stipite longiusculo laevi subradicato.

Hab. in Vogesorum sylvis pineto-frondosis (ex Pino *sylvestri* et Fago *sylvatica* vel *Quercubus* compositis), ubi a cl. Mougeot repertus est, sequentem ejus descriptionem mecum communicans. Pileus 4-6 unc. latus, substantia aquosa, hinc cito in putredinem abit. Stipes subcylindricus, 2½ unc. longus, ½ crassus, aliquando incurvus, colore citrinus, appendice nigricante terrae immersus. Tubi sublongi. Bol. *aureo.* Schaeff. t. 115. proximus.

12. *variegatus*, pileo fasciculato-piloso obscu-

re luteo, tubulis adnatis rotundis minutis ferrugineis, stipite laevi firmo. *Swartz in Nov. Act. Suec. 1810. p. 8.* B. reticulatus, β. *Consp. Fung. p. 240. Fries Obs. Mycol. 1. p. 117.*

In Germaniae et Sueciae pinetis provenit.

Pileus 3 - 4 unc. latus, sordide flavus, squamulis appressis obscurioribus, in reticuli speciem veluti dispositis, (saepe humidus, junior cortinatus: carne plus minusve caerulescente. *Fr.*). Pori acutiusculi, inaequales. Stipes mediocris, teres, 2 - 3 unc. longus, flavo-rufescens. *Consp.* Stip. unicolor flavus, rarissime rubescens. Pil. etiam glaber et aëre pluvioso subviscosus. *Fries l. c.*

13. *pachypus*, pileo pulvinato subtomentoso alutaceo, tubulis liberis rotundis flavis, stipite crasso reticulato flavo - rubro. *Fries Syst. p. 390.*

β? B. *vitellinus*, pileo convexo subalutaceo compacto, tubis brevibus porisque minutis vitellinis, stipite subtuberoso, apice reticulato flavo, deorsum rubro - maculato. *Obs. Mycol. 2. p. 11.*

γ. *olivaceus*, pileo olivaceo et fusco. *Schaeffer. t. 105.* B. mutabilis. *Schrad. Spic. p. 145.* (exclus. Synon.)

In Abietinis et Fagetis Sueciae, Germaniae. Stipes semper crassus, ovato - bulbosus, et saepius brevis, pileus crassus, mollis, demum

glaber, 6-8 unc. latus. Tubuli mediocres, juniores, albidi, tactu caerulescentes. *Fr.* In B. *vitellino* caro est elastica, vix caerulescens. Tubi parum decolorant, ab initio laete flavi. Pileus compactus, glaber? aut subtomentosus? sapore subacido. *Obs. l. c.*

14. *esculentus*, subgregarius magnus, pileo fuscente glabro demum dilatato, carne albida immutabili, poris ab initio farctis albidis, dein flavo-virentibus, stipite ventricoso subbrevi reticulato, pallide rufescente. *Obs. Mycol. 1. p. 23. Bull. champ. t. 494.* (B. edulis). B. *crassipes.* Willd. Schum. p. 378.

B. bulbosus. *Schaeff. t. 134* et *135.* (fig. satis bonae). B. solidus *Sowerb. t. 419.* non diversus videtur, sed ejusd. B. *edulis t. 111.* colore et stipite longo tereti differt.

Utilis et innocua haec species, omnium vulgaris, jam tempestive in variis sylvis et nemoribus adest, praesertim post pluvias calidas; etiam reliquas praecellit magnitudine, et facile dignosci potest stipite ventricoso, fere bulboso, subinani, praesertim aetate juniore, ubi pori quoque vix perspicui sunt et materie quasi obducti. Caro alba, immutabilis, sapore grata, etiam cruda commedi potest.

Obs. Plures adsunt varietates, imo subspecies, quae adnotari merentur:

α. *pinguis*, solitarius, pileo latissimo dilute ba-

dio, inferne virescente, carne alba molli, poris majusculis. (Suillus *pinguis.* Thore.)

Provenit praesertim in Gallia meridionali, magnitudine insigni (pondere quinque librarum) sed usui culinari minus bona.

β. *albus*, pileo crasso stipiteque ventricoso albo, tubis pallidis. *Mich. gen. pl. p. 127. Bull. l. c. f. d.*

In Italiae sylvis caeduis et ericetis. Stipes quoque reticulatus? Huic affinis B. *elephantinus.* Wither Arrang. 4. p. 317. stipite flavescente differens. (An ut species distinguenda? color albus rarus in hoc genere.)

γ. *fuligineus*, pileo carnoso fuligineo, tubis longissimis, stipite crasso brevi fuliginoso reticulato.

Rarius in sylvis provenit.

Haec species differt insuper, sed rarius, colore, in pilei margine, coccineo, et stipite albo: B. *tuberosus.* Syn. fung. p. 511., et tubis ore rubicundis; *vid. Flor. Dan. t. 1296.*

15. *luridus*, magnus, pileo puberulo olivaceo-fuscescente subviscoso: carne obscure caerulescente, tubis longissimis luteis: ore rubicundis, stipite longo subcrasso reticulato rubicundo. *Syn. fung. p. 512. Schaeff. t. 107.* (bona:) *Trattin. Fung. Austr. Fasc. 3. p. 89. t. 9. f. 17.*

B. tuberosus. *Schrad. Spicil. p. 148.*

Sub nomine B. *bovinus*, uti antecedens,

a plurimis Floristis, saeculi praesertim postremi, descriptus.

Minus vulgaris in sylvis nascitur nocivus hic fungus, tamen saepe mature, aëre praesertim pluvioso, in conspectum venit, ac facile tubis lutescente-rubris, dein aurantiis, carne praesertim, quae mox caerulescit et vere nigricat, sese ab aliis distinguit. Ceterum stipes versus apicem magis reticulatus est, adultus teres, sed junior subtuberosus, basi fere nigrescit et intus ruber. Ludit quoque sequentibus formis:

β. *tuberosus*, pileo subhemisphaerico olivaceo-aeneo subpubescente, poris miniatis, stipite brevissimo globoso-tuberoso. *Schum. Saell. p. 377.* B. *bovinus.* Bolt. Fung. t. 85. B. *rubeolarius.* Syn. fung. p. 512. Sowerb. t. 150. (B. rubeolarius. *Bull. t. 490.*, si figura fida, nec in hunc, nec in luridum quadrat). Ceriomyces crassus. *Batarr. p. 62. t. 29. fig. A. B et D.* (bona.)

Obs. Hanc subspeciem serius provenientem et magis in sylvarum viis, aut ad earum margines, reperi, sed habitum fungi nondum bene evoluti praebet. Sequens quoad nonnullos auctores tantummodo quoque varietas est, quod aliis dijudicandum, relinquo.

* *erythropus*, minor, pileo fusco-rufescente aut spadiceo, poris parvis aurantio-rubris, stipite breviusculo tereti rivuloso-squamu-

crassus, pil. concolor. Substantia est mollissima, hinc inde cyanescens. Latitudo 4 - 5 unciarum est.

20. *felleus*, pileo convexo, dein subapplanato fulvo aut subfuligineo, carne submolli, dein rosea, tubulis ex albo subcarneis, stipite ventricoso reticulato concolore. *Bull. champ.* *p.* 325. *Consp. fung. p.* 240. *Fries p.* 394.

In Gallia, Germania et Suecia, in sylvis praesertim acerosis, satis praecox oritur. Stipes ex *Bull.* aliquando vix reticulatus, colore fulvus, ex *Fries* suboliváceus, intus albus, et secundum *Consp.* e gilvo dilute - fuligineus. Tubi longissimi, in adultis subcarnei, interdum sulphurei. *Bull.* Pori angulati. *Fr.* Caro laxa, alba, sed ad rupturam illico rubescit; primo subdulcis, mox amara. Pulvis seminalis copiosus, roseo - ruber. *Consp.*

Obs. Sequens varietas, quamvis levidensis, tamen constans, enumerari quoque meretur, cum nonnullis notis discrepet.

β. roseus, pileo opaco fuscescente s. dilute vaccino, carne alba immutabili, tubulis longis roseis, ore rotundis, stipite reticulato subtenui albido - fuscescente.

In sylvis, autumno, frequentius mihi obvius fuit. Stipes 2 - 3 unc. longus, ½ crassus. Tuborum stratum convexum; prope stipitem brevius, ab initio album, intus carneum. Pileus subcompactus, 2 - 3 unc. latus, crassius-

culus. Odor et sapor fortis, fere ut in Amygdalis amaris.

21. *testaceus*, magnus, pileo convexo - plano stipiteque testaceis glabris, carne alba immutabili, poris aequalibus mediocribus.

Speciem hanc sat bellam, formaque valde regulari et proportioni adaequata indutam, fine Octobris, in sylvula Vincennes (prope Parisios) reperi. Color simillimus argillae ollari coctae. Pileus palmaris; ½ unc. crassus, substantia firma. Stipes 3 unc. longus, ultra 1 crassus, glaber.

22. *castaneus*, solitarius parvulus, pileo firmo hemisphaerico, demum planiusculo stipiteque tomentosis obscure cinnamomeis, poris albis. *Bull. t. 328.*

Adparet in quercetis jam mature, Jul. — Aug., et forma sat eleganti et colore peculiari distinctus est. Stipes saepe inanis, pileo concolor, apice interdum albicat. Pori demum lutescunt. Pileus opacus, 1 - 2 unc. latus, ad tactum mollis, intus albus, nec mutabilis. Sapor gratus. Edulis.

Obs. B. *badius.* Fries Syst. 1. p. 392. ob stipitem furfuraceum, carnemque caerulescentem, et locum (in pinetis) diversa videtur species. B. *castaneus.* Flor. Dan. t. 1792. habitu et magnitudine insigni distat.

23. *aereus*, pileo compacto glabro aeneo - nigricante, tubulis sulphureis, stipite reticula-

to subluteo. *Fries Syst. p. 393. Bull. p. 321. t. 385. Decand. Flor. Gall. Suppl. p.* .

β. leucoporus, tubulis albis. *Amansii Flor. Aginens. p. 553.* B. Cepa. *Thor. Chlor. des Landes. p. 482 - 483.*

Hab. in Gallia meridionali. Stipes elongatus, interdum vix reticulatus. Caro pilei alba, prope cutem rubella, etiam luteo-virescit. Fungus edulis. Pileus 2 - 3 unc. latus. Pori albi (in β.) et ita stipati, ut modo in valde adultis bene conspicui sit. Stipes in medio valde tumidus, et utroque fine attenuatus. *Th.*

24. *gyrosus*, gregarius, pileo glabro castaneo-rufo, tubulis brevibus inaequalibus dentato-gyrosis fulvo-luteis, stipite longo laevi. *Fr. Syst. p. 389. Obs. Mycol. 1. p. 120.* B. Sistotrema.

In Suecia raro observatus. Stipes, ex auct., tenuis, subrufescens. Pileus mollis, utrinque planus. Stratum tubuliferum ut in Merul. (Xylom.) *lacrymante.*

25. *subtomentosus*, subparvus, pileo flavo-fuscescente subtomentoso convexo, carne subimmutabili, poris majusculis inaequalibus flavo-virentibus, stipite firmo subtenui, utplurimum rubicundo. *Syn. fung. p. 506. Obs. Mycol. 2. p. 9. Nees Syst. f. 206. Fries p. 390.* B. communis. *Bull. t. 395.* B. chrysanteron. *Ejusd. t. 490. f. 3.* B. bovinus. *Schum. p. 376. Flor. Dan. t. 1074.* (Var.

stipite toto luteo). *Batarr. p. 63. t. 29. C. et 30. f. C, D et E.* (varietates).

Frequens aestate et autumno, variis in sylvis provenit. Magnitudine est mediocri, et forma sat constans, sed colore pilei valde ludit, qui in plerisque quidem est flavo-brunneus, sed in aliis olivascens, cupreus, vaccinus, sublateritius et rarius laete cinerascens (B. *murinus*). Cutis non raro in areolas, saepe regulares rumpitur; vid. *Bull. t. 490. f. 1.* Caro nunc parum caerulescit, nunc in rubedinem abit. Stipes substantia est rigida, laevis aut substriatus, pallidus, aut ad partem ruber, vel rubro-maculatus, imo nonnunquam totus rutilans, hinc opinor, sequentem vix ut speciem discrepare.

* *calopus*, pileo subolivaceo, tubulis angulatis flavis, stipite subtenui coccineo-rubro laevi aut reticulato. *Syn. fung. p. 513. Fr. p. 390. Schaeff. t. 315.* (B. terreus.)

In sylvis, ericetis et collibus apricis rarius crescit. Stipes antecedentis paullo crassior et altior. Caro caerulescit. Ad minores pertinet.

** *pascuus*, pileo subtomentoso fuscescente, poris flexuosis crassis, carne immutabili, stipite brevi squamuloso toto coccineo.

In pascuis apricis, juxta sylvas reperi hunc fungum, qui quoad pileum, B. *tomentoso* similes est, et colore stipitis cum B. *calopo* con-

venit, hinc duas hic species connectere videtur. Magnitudine quoque intermedia est.

26. *parasiticus*, pileo glabro subcoriaceo flavescente, dein tessulato-rimoso, tubis brevibus luteis, poris majusculis inaequalibus, stipite deorsum incurvo-tenui. *Bull. t.* 451.

In Lycoperdo (Sclerod.) *verrucoso* parasitat, nec alibi occurrit. Caro compacta, amoene flava. Stipes demum laceratus. *Bull.*

In locis arenosis saxosis provenit, magnitudine mediocri. Stipes lutescens, durus, saepe rimosus.

27. *leucophaeus*, magnus, pileo crasso hemisphaerico obscure fusco seu badio, stipite sublongo crasso costato-rugoso glabro, tubis porisque minutis albidis.

B. fusco-albus. *Sowerb. Fung.* 3. *t.* 421.

Provenit in Angliae sylvis autumno. Ad iconem brevemque descriptionem, stipes quadriuncialis fere est, et inanis, sulcato-rugosus, sed non reticulatus apparet (*ruggedly reticulated flecked sides. Sow.*) Stratum tubulosum rotundatum. Caro albo-fuscescens, laesa aut aeri exposita nigrescit.

28. *umbrinus*, pileo fuscescente-umbrino, tubis longissimis, circa stipitem brevioribus, virescente-flavis, stipite longo glabro reticulato: reticulis oblongis.

Obs. Semel tantum inveni hunc fungum sat memorabilem, in sylvula quadam castanea

prope Parisios. Obiter visus Boletum *scabrum* diceres, adeo cum eo colore et habitu convenit; sed stipitem non habet squamuloso - floccosum, sed glabrum, et apicem versum reticulatum; insuper radicatus est. Sapor parum acescit.

Species minus cognitae.

Obs. 1. Nescius, an tres sequentes Boleti, ab una alterave enumerata specie satis differant, eos seorsim, quales in schedulis meis adnotatos invenio, indicare satius duxi:

* *acidescens*, pileo convexo crasso ruguloso opaco fuscescente, carne albo - lutescente immutabili, tubis longissimis intense flavis, stipite crasso subventricoso pileo subconcolore.

Mense Junio in sylvula Vincennes repertus. Sapor acidus. Fungus cibarius videtur, et B. *circinanti* proximus.

* *corrugatus*, magnus, pileo pulvinato rugoso, obsolete quasi squamoso; opaco (sicco) stramineo, poris minutis regularibus pallescente - albis, stipite brevi subconcolore, carne subvirescente - vinosa.

In quercetis et castanetis *solitarie* crescens inventus. Pileus 2 unc. latus parum rufescit. Tubi 4 lin. longi, dissecti parum virescunt. Stipes 3 unc. longus, unc. 1 et ultra crassus, in specimine lecto subventricosus, laevis aut parum rugulosus. Sapor acescit.

* *stramineus*, pileo magno stramineo, carne

violaceo-virente, poris flavis margine inaequalibus crenulatis parvis, stipite subbrevi duro laevi griseo-pallente opaco.

Hab. subgregarie in sylvis umbrosis. Pileus 3-4 unc. latus, una cum tubis ½ unc. et ultra crassus, fractus mox caerulescit. Pori in stipitem parum decurrunt, margine saepius prominente, ibique in dentes obtusos quasi laceri, valde irregulares. Stipes 2-2½ unc. longus, ¾ unc. crassus, duriusculus, sublividus. Sapor acidus. Forsitan species est distincta, ulterius tamen indaganda; etiam cum B. *brachyporo*, loco natali excepto, cognata videtur.

Obs. 2. Hisce antecedentibus speciebus; sequentes minus cognitas, et Italiae incolas addere quoque licet.

* *sericeus*, subparvus, pileo late umbonato (?) stipiteque brevi fulvo-sericeo, poris ochroleucis.

Suillus parvus crassus, pediculo et superna pilei parte fulvis, sericea et perbrevi lanugine infectis, inferna vero ochroleuca. *Mich. Nov. Gen. p.* 128. *no.* 12. *t.* 68. *f.* 2.

Ad *Ilicum* radices, mense Octobri, in ambulacris et in viridario Boboli lectus. — Pilei, qui duas uncias latus, forma a ceteris distinguitur.

* *mucronatus*, pileo hemisphaerico fuscescente, poris aequalibus ochroleucis, stipite sublongo ventricoso, deorsum in mucronem lon-

gissimum (radicem fusiformem?) producto.
— *Mich. l. c. no.* 14. *t.* 69. *f.* 3.

In quercetis, Augusto. Magnitudine mediocri.

* *purpureus*, superne purpureus, interne ex aureo fulvus, stipite tumido subrubente.
Mich. p. 129.

In Boboli sylvulis circa piscinam Insulae. *M.*

* *leoninus*, pileo hemisphaerico regulari pulchre fulvido glabro, poris parvis aequalibus citrinis, stipite crasso conico laevi concolore. — *Mich. p.* 128. *no.* 9. *t.* 68. *f.* 1.

Obs. A nonnullis Mycologicis, ut synonymum ad B. *esculentum*, qui tamen in Michelii opere sub no. 8. et 13. optime definitus est, adducitur, verum differt pileo parum carnoso, stipite turbinato et non reticulato (Michelium stipites reticulatos cognovisse, ex ejus no. 22. liquet), ut taceam colorem et tempus vegetationis vernale.

*** Floccopodii. *Stipite squamoso-lacero, pubescente, subvelato, pileo squamoso, colore in plerisque obscuro, et tubis albicantibus.*

29. *cinereus*, magnus, pileo carnoso squamoso cinereo, margine appendiculato, poris candidis, stipite fibrilloso-squamoso cinerascente. *Syn. fung. p.* 504.

In fagetis ad terram, sero autumno, rarius prope Gottingam inventa est speciosa haec species.

Pileus hemisphaericus, carne molli e cinereo rufescente. Squamae in disco pilei parum crassae, suberectae, in ambitu adpressae et villosae, et fere condensatae in membranam, tubos, fungo nondum adulto, subobtegentem, prominent. Pori majusculi, aequales, albido-cinereae. Stipes apice sulcatus: 3-4 unc. altus, ac dimidiam fere crassus, teres.

30. *floccopus*, pileo pulvinato griseo, squamis fasciculatis obducto, tubulis subliberis candidis, stipite brevi velato-squamoso. *Fries*, *l. c. p.* 393. (excl. Synon.)

B. *floccopus*, pileo griseo villoso, fistulis albidis, stipite griseo-nigrescente velato. *Flor. Dan. t.* 1252.

Hab. in Daniae et Sueciae fagetis umbrosis. Tomentum griseum juniorem fung. involvit, dein in squamas crassas floccosas abit. Pil. compactus, quadriuncialis, tandem nigrescit, carne rubescente. Squamae ut in nonnullis *Amanitis* dispositae. Stipes 4 unc. longus. *Fr.*, et tomento denso cortinatus. Totus fungus aetate nigrescit. *Schumach.*

31. *gossypinus*, pileo globoso ex cinereo aut fusco albicante, squamis strobiliformibus gossypino-rufis obsito, subtus circa stipitem excavato, stipite cylindrico striato, substantia gossypina rufa, saepe circumvoluto. *Cumini Fung. Vall. Pisii Specim., in Act. Academ. Regiae Taurin. Vol. 2. 1805.* B. strobiliformis. Oc-

Occurrit ad semitas sylvarum Fag. *Castaneae*, Aug. et Sept., in Italia. Stipes plerumque curvatus. Pori circa stipitem lamellosi apparent (et a pileo secedunt?) *C.*

32. *squarrosus*, nigrescente-umbrinus, pileo dense squamoso: squamis crassis squarrosis erectis, poris majusculis albis, stipite longo apice sulcato, basi fuligineo, cortina tomentosa. *Tab. XIX.*

In truncis putridis, aut in ramis sub terra absconditis Pini *Piceae*, in Vogesia detectus, et una cum icone benevole communicatus a D. Mougeot: forma ac colore species singularis.

Pileus convexus, hemisphaericus, carne compacta albido-grisea. Tubi longi, albicantes, pileo sat firmiter adhaerent, nec vero ut in Polyporis, cum eo connati. Stipes sulcatus, praesertim in apice, ubi colore minus est obscuro. Cortina, in juniore individuo, pilei marginem et stipitem obtegit, sericea est et albido-violascens, in fungo adulto lacerata et evanescit.

An sequens, male depictus et nimis succincte descriptus, alius sit fungus, dijudicare non possum.

* *strobilinus*, pileo hemisphaerico tessellato-squamoso fusco, poris angulosis albis. *Dicks. Plant. Cryptog. 1. p. 17. t. 3. f. 2.*

In Anglia, prope Bullstrode, in Comitatu

Buckingh (ad terram?) observatus. Stipes 3-4 unc. altus, subcrassus, (ex pictura, squamis angustis erectis exasperatus), concolor. Pileus obscure fuscus v. umbrinus, 2 uncialis; superficie tessellata, strobilum Pineae quodammodo referente. *D.*

Obs. Unus ex tribus sequentibus fungis, nimis breviter designatis, verosimiliter etiam ad nostram pertinet speciem.

* *coniferus*, nigrescens?, pilei squamis quadratis strobilinis, stipite longo incurvo, apice? poroso. *Villars Dauph. 3. p. 1039.* B. strobiliformis.

Provenit in planitie Bièvre (ad terram?). Pileus superne squamis quadratis, strobili Pini sylvestris instar exasperatus. *V.* Color nigrescens?

* *versiporus*, pileo squamulis atris tecto, poris albis basi hexagonis, medio aequalibus, margine irregularibus, stipite bulboso. — Villars, l. c. *no. 7.* Bol. irregularis.

* *echinatus*, ater, pileo rotundato squamis magnis adamantiformibus exasperato, poris angulosis, margine lacero. *Villars l. c. no. 9.*

*** *Lepidopodii, stipite elongato nudo subflocculoso squamulisque exasperato.*

33. *scaber*, pileo subrugoso glabro fuligineo, tubulis albido-pallescentibus circa stipitem brevioribus, stipite longo attenuato squamulis nigrescentibus scabro. *Syn. fung. p. 505.*

Obs. Mycol. 2. p. 13 et 14. Bull. t. 489. f. 1. Flor. Dan. t. 835. f. 2.

Boletus bovinus. *Schaeff. t. 104.* B. procerus. *Bolt. t. 86.*

β. *rufus*, pileo rufescente. *Schaeff. t. 103.* B. scaber. *Sowerb. t. 175.* B. aurantiacus. *Bull. t. 489. f. 2.?*

Non rarus per aestatem et autumnum provenit. Stipes rigidus, striatus, cum pileo tandem fere nigricat. Tubuli sat longi, cinereo-albi, pallescunt, demum squalidae fiunt. Caro mollis rubescit, sapore acida. Exsiccando fere nigrescit.

γ. *decipiens*, pileo planiusculo subtomentoso gilvo, poris sordide albis, stipite subbrevi squamulisque albicantibus.

In ericetis sylvaticis, pauca specimina hujus hybridi quasi fungi, inveni, B. *subtomentosum* quoad formam mentientis, sed *scabri* caracterem et naturam prae se fert. An species propria?

34. *aurantiacus*, magnus, pileo lato aurantio-rufo, poris candidis, stipite longo subcrasso albicante squamuloso. *Syn. fung. p. 504. Obs. Mycol. 2. p. 12. Bull. t. 236. f. 2. Sowerb. t. 110. Mich. gen. p. 128. no. 16.*

Minus frequens occurrit. In sylvis magis apertis, Jove pluvioso, majore est in copia, ac tunc interdum ultra spithamam extensus et ultra unc. 1 crassus, omni tamen aetate sub-

lateritius, etiam totus albus (B. *niveus*, Fries Obs. 1. p. 111.) observatus est. Stipes procerus, cylindricus, crassus, squamulis sparsis concoloribus, plerumque rubicundis, rarius albis, obtectus est,

β. *fulvus*, crasso pileo viscoso-fulvo, *subtus lutescente*, stipite dilutiore, squamis liturisque sanguineis notato. — *Mich. gen. p. 129. no. 18 et 19.*

In Italiae locis montanis. Distincta species apparet.

**** *Pileo dimidiato.* (Polyporus hispidus, betulinus.)

35. *pulvinus*, pileo dimidiato glabro crasso molli spadiceo, poris (secedentibus) minutis pallidis. *Obs. Mycol. 2. p. 7.*

Parum dubium hunc fungum, trunco quercino innascentem, in libro adducto amplius descripsi; verum denuo non repertum esse videtur. Ad maximos pertinet, nam specimen lectum spithamam 1½ fere latum fuit, pulvinar quodammodo referens. Caro albida, mollis, fracta rubescit, sapore subacido. Color fungi primo est ochraceus, exsiccando fuscescit.

LXXIII. Hypodrys. *Pileus* (dimidiatus) carnoso-succulentus. *Tubuli* (inter se) discreti, adhaerentes (pileo). *Stipes* lateralis, aut obsoletus.

1. *hepaticus*, pileo carneo-rubro, stipite cras-

so, demum obsoleto, tubulis ex albido lutescentibus.

β. *violascens*, pileo ex rubro et fusco violaceo, tubulis inaequalibus angustis, dilute violaceis. *St. Amans Flor. Agenaise, p. 546.*

Boletus hepaticus. *Schaeff. t. 116 - 120. Sowerb. t. 58. Bolton t. 79.*

Boletus Buglossum. *Retz et Flor. Dan. t. 103.* Buglossus quercinus. *Wahlenb. Ups. p. 439.*

Fistulina buglossoides. *Bull. t. 497.* Fistul. hepatica. *Fries Syst. p. 396.* (excl. Synon. Batar.)

Hypodrys. Solenaud. Consult. medic. Francof. 1596.

Prae ceteris nascitur in caudicibus vivis *Quercuum* annosarum, rarius *Fagorum* et *Castaneae.* Nonnunquam magnitudine ingens, aëre et loco faventibus. Pileus forma subvariat, ejus substantia est lenta, fibrosa, carni crudi, aut radice coctae *Betae* haud dissimilis. Tubuli aetate evadunt obscuriores, margine subtilissime fimbriati; nonnunquam, per aberrationem, in pilei facie superiore conspiciuntur, sed tunc abortivi.

Obs. Micheli hunc fungum bene definivit; sed icon (t. 60.) non satis quadrat, ita ut a Gleditschio in *Method. Fung. t. 3.* repetita, tamquam *Agarici* species est proposita, quamvis auctor nostrum fungum (p. 77.) sat bene

descripserit, si tamen excipias, ubi dicit, quod *tubulorum compages a pilei substantia facile secedit.*

††† ODONTODERMEI, seu *Hydnei*, forma exteriore, substantia et crescendi modo cum *Porodermeis* congruunt; imo, quadam ratione per genus *Sistotrema* inter se confluunt; separandi tamen sunt. *Hymenium* in his ex particulis subuli- aut dentiformibus (*subulae*, *dentes*, *aculei*) solidis, integris aut incisis, plus minusve elongatis, exasperatum. In omnibus cum pileo concretum, nec tamen cum eo homogeneum dicendum. *Pileus* integer, dimidiatus, resupinatus et effusus, etiam clavato-ramosus. *Substantia* carnosa (nec tamen mollis), coriacea, membranacea, passim tremellosa. Volva cortinaque nulla. — Fungi hujus familiae (saltem majores) minus communes sunt, nec genera extensa conficiunt.

† *Hydnei veri.*

LXXIV. HERICIUM. Caulescens, simplex aut clavato-ramosum, undique fere aculeatum. *Pileus* hinc distinctus nullus, cum caule confluens. (*Species truncigenae, plerumque albidae.*)

* *Caule ramoso.*

1. *coralloides*, magnum ramosissimum albidum, ramis confertis flexuosis incurvis, subulis terminalibus subfasciculatis aut distichis. *Syn. fung. p. 563. Comment. de fung. clavaef. p. 23.*

Hydnum coralloides. *Schaeff. t. 142. Sowerb. t. 252.* H. ramosum. *Bull. t. 390.* H. ab-

ietinum. *Schrad. spicil. p. 181.* H. muscoides. *Schum. p. 394.* Merisma. *Fries Syst. p. 408.*

Increscit praesertim truncis adhuc vivis *Quercuum*, etiam ad Fagos et Abietes, et in Italia ex Batarra (si alioquin ejus fungus, male delineatus idem sit), in Ulmis et Moris provenit, sed fere ubique ad rariores pertinet.

Forma fungi junioris Brassicae cauliflorae similis, adultioris adeo diversa, ut ad species duas assumendas vel cautissimum seduceret. *Consp. fung. p. 274.* Altitudine est, in majoribus individuis, pedali, ramis angulatis flexuosis, ramulis incurvis, subtus aculeatis.

2. *alpestre*, ramosum subcompactum albicans, subulis longis densis imbricatis rectis.

Ad truncos abietinos, in vallesiacis subalpinis detectum a *L. Thomas.*

Clavariaeforma est, tamen ramosum: ramis brevibus, 2-3 unc. altum, 2 unc. latum, opaco-albidum (in sicco). Subulae pro ratione magnae, strictae, nec flexuosae.

3. *clathroides*, cinerascens, ramis anastomosantibus, subulis filiformibus unilateralibus. *Comment. p. 23. Pallas Iter russ. 2. t. k. f. 3. Fries p. 409.*

Circa Obum flavium in Russia ad truncos pineos *putridos* inventum.

Mox a basi multifidum, in ramos fasciculatos anastomosantes, qui superne papillis mi-

nutis (subulis, verosimile, non evolutis) obtecti, inferne aculeis tenuibus hirti. *Pall.*

Species subterraneae, anomalae.

4. *nudicaule*, subterraneum magnum, caule tenui ramoso: ramis caulinis furcato-flexuosis sterilibus: subulis terminalibus dense conglomeratis subfastigiatis.

Manina ramosissima. *Scop. Diss. 1. p. 98. t. 12.*

In fodina Caesaris Francisci, in Hungaria repertum. Semipedale pulcherrimum, pendens e congerie ramorum, quorum divisiones et anastomoses *venam Portae* non male referunt, sustinentes corpus subrotundum, aculeos parallelos undique emittens. *S.*

5. *Flagellum*, subterraneum ramosum, caule elongato inermi, ramis aculeis stellatis obsitis. *Comm. l. c. p. 25. Scop. p. 97-98.* sub Manina.

Ex Antoni di Padoa *Stollen* (cuniculis). Forsitan H. *coralloidis* varietas subterranea.

6. *muscoides*, ex basi ramosissimum: ramis alternis brevibus, aculeis ubique obsitis. *Scop. p. 99. t. 16.*

Caulis mox supra radicem, in plures ramos albos dividitur. Aculei undique nati, et rami tenues diffusi, habitum *Lycopodii* vel *Hypni* cujusdam huic plantae conciliunt. *Scop.*

Obs. Maninae *cauliflora*, *columnaris* et

crispa. Scop. t. 12 - 15. ad *Merismata* potius amandandae.

*** Caule simplici crassiusculo, subulis densis terminato.*

7. *Erinaceus*, magnum carnosum albido-lutescens, caule simplici laterali incurvo, subulis longis pendulis. *Bull. p. 304. t. 34. Tratten. Fung. Austr. f. 35.* sub Hydno.

β. *sulphureum*, colore undique amoeno sulphureo. *Thore.*

γ. *viridescens*, coriaceum virescens. *St. Amans. Flor. Agen. p. 545.* (An sui generis species?)

Caule fusiformi truncos, praesertim Quercuum, intrat, latitudine palmari, nec ullum pilei vestigium habet, hinc fungus homonymus. *Fries Syst. I. p. 407.* alius divisionis species videtur, et ejus H. *Hystrix* forsitan huc pertinet.

* *unguiculatum*, subacaule erectum crassum, caule cylindrico, latere affixo, apice rotundato, subulis densis brevibus incurvis.

Ad truncos *Crataegi?* in sepibus prope Lugdunum Gallorum lectus a *F. Petit*, qui specimen pictum communicavit, ex quo elucet speciem forte esse incognitam, quae 3 unc. fere est alta, $1\frac{1}{2}$ crassa. Subulae vix 2 - 3 lin. longae, apice uncinatae.

8. *Cardium*, caule brevissimo laterali, in lobos colimatos diviso, subulis longis parallelis dependentibus.

Manina cordiformis. Scop. *Diss. p. 97. t. 10.*

Species subterranea, conformatione praecedentis, tota alba, stipite brevi crasso et laterali lignis affixa, substantia spongiosa. Lobi et aculei imbricati.

9. *Echinus*, flavum, caule crasso, subulis longis erectis fistulosis. *Comment. de clav. p. 28.*

Martella Echinus. *Scop. in Ann. 4to. Hist. Natur. p. 151.*

Hab. in Hungaria, circa Schemnizium.

10. *Caput Medusae*, magnum album, caule crasso subbrevi, subulis undulatis densis. *Comment. de fung. clavaef. p. 26. Bull. champ. p. 210. t. 412.* sub Clavaria.

Lignis quoque innascitur putridis, sed a paucissimis denuo repertum. Truncus apice dilatatus, aculeos longissimos, primo rectos dein undulatos et subdecumbentes proferens.

11. *Hystrix*, album, caule brevi subcrasso, subulis longissimis erecto-divergentibus. *Comment. l. c. p. 27-28. Michel. Gen. p. 122. no. 1. t. 64. f. 1.*

In Etruriae sylvis, mense Decemb., quondam a Michelio observatum est, altitudinem habens 3-4 unc. Sed an species terretris, aut truncigena sit non indicatur.

12. *Ramaria*, purpureum pendulum, trunco nullo (?), aculeis ramosissimis intricatis. *Fries Syst. p. 410.* †

In ligno Fagi putrido, unica tantum vice in Suecia lectum.

13. *barbatum*, acaule? album parvum, subulis numerosis longis erectis. *Batarra Fung. p. 67. t. 33. f. c.* Agaric. barbatus.

Ad arbores germinat. Ex innumeris corpusculis oblongis plenis carnoso-coriaceis coalescit. *Bat.*

Obs. Nonne potius in divisione *Odontia* collocandum est?

LXXV. Hydnum. *Pileus* carnosus aut coriaceus, passim tremellosus, forma varius. *Subulae* integrae, conformes, (nec basi cohaerentes) *).

† *Pileo integro stipitato.*

* *Carnosa. Pileo azono, saepe repando.*

1. *badium*, gregarium maximum, pileo carnoso badio, squamis aut fissuris latis depres-

---

*) *Subulae* seu aculei juniores et marginales (in pilei ambitu,) cum adultis seu evolutis, parvitate excepta, conveniunt, nec poriformes sunt, quales in genere *Sistotrema* observantur, cujus species *resupinatae*, non negandum, aliis Hydni saepe valde similes sunt; verum dentes in his plerumque difformes, compressae et vario modo incisae utplurimum sunt, ac nonnulli apice plus minusve tomentosi sunt, uti videtur, a pilei reciduis, uti hoc locum habet in genere *Merismate*.

sis, subulis (recentibus) albido-cinereis, stipite subbrevi concolore. *Tab.* XXI.

Hab. in Vogesorum pinetis apricis, sat frequens (Mougeot), etiam in monte Jura collecta specimina transmisit D. Chaillet. In Helvetia aliisque regionibus provenire quoque videtur. Pro temporis aut loci conditione favente extensionem acquirit pedalem, pileo tunc repando, squamis densis et obscurioribus vestito. Aculei ex albo cinerascunt, nitidi, dein subfusci, et in siccis spadicei. Stipes glaber, cinereus, pro fungi magnitudine brevis est, et teres.

Obs. Haec quoad iconem et adnotationes a cl. Mougeot procuratas. Confiteri tamen debeo, specimina ex eadem regione et ex Helvetia recepta, pileum habebant potius rimoso-fibrillosum, quam distinctis squamis imbricatum, imo ille in quibusdam sublaevis erat. Stipes etiam aliquando sat tenuis et tunc magis elongatus est, ac colore fusco-purpurascens, per exsiccationem, uti videtur. Cum interea hic fungus in locis montosis et borealibus minime rarus videtur, et cum H. *imbricato* L. forsitan confusus, concludere licet, sequentes duas vix, aut non discrepare.

β. subsquamosum, pileo carnoso irregulari, diffracto squamoso, subzonato testaceo-ferrugineo, aculeis albidis, stipite crasso. *Fr. Syst.* I. *p.* 399. *Batsch El. fung. p.* 111 et

178. f. 43. (Descriptio sat convenit, minus vero icon.) *Consp. fung. p. 265.*

H. squamosum. *Bull. p. 310. t. 409.* H. imbricatum. *Schum.*, et *Villars Delph. 3. p. 1042.?*

In pinetis. Stipes inaequalis, demum ramoso-squamosus, pileo concolor. Pileus convexus, mox explanatus. Aculei longi, fuscescentes. *Fries.*

Pileus 3-4 unc. latus, subrepandus, hinc prorsus laevis, illinc confertius aut sparsim adpresse squamulosus, colore ochraceo-rufescente et ferrugineo mixtus. *Consp.*

* *laevigatum*, pileo carnoso subrepando rugu-loso azono rufo-cinereo, aculeis albido-cinereis, stipite inaequali laevi. *Fries l. c. Swartz Act. Holm. an. 1810. p. 243.*

"Cum priore, sed praecocius et frequentius, occurrit. Stipes crassus, albido-cinereus, saepius brevis. Pileus fragilis, irregularis, latitudine varius: junior, uti prior villosus, intus albidus."

Obs. Auctor allegavit sequentia, ut synonyma, quae interea tam ob colorem, quam ob formam recedere videntur.

H. *pulvinatum*, pileo convexo pulvinato *membranaceo* glaberrimo rufescente, dentibus *ferrugineis*, stipite brevi crasso. *Schultz Flor. Stargard. p. 491.*

Erinaceus ex obscure ferrugineus, subtus

denticulis longioribus cinereis. *Mich. gen. p.* *112., no. 8. t. 72. f. 1.* (Ex icone, pileus late ac profunde umbilicatus est.)

2. *Leucopus*, pileo carnoso campanulato, regulari glabro laevissimo fuligineo-fusco, subulis tenuibus fusco-purpureis, apice albicantibus, stipite crasso ovato intusque albo.

In pinetis Juratensibus passim reperitur. *Chaillet.*

Forma jucunda distinguitur. Pileus 3 uncialis, sensim convexus, subcrassus, intus albicans. Subulae attenuatae, in stipitis apice obsoletae, dentiformes. Stipes $1\frac{1}{2}$ unc. altus, basi $\frac{3}{4}$ unc. latus, obverse clavatus, albus, sed prope apicem subulis concolor. (Haec ex specimine sicco, sed bene comparato observatum, quo elucet, speciem novam esse.)

3. *cervinum*, pileo carnoso umbilicato squamoso umbrino: squamis crassis suberectis, subulis nitidis albido-cinereis. *Obs. Myc.* *1. p. 74.*

Hydnum *imbricatum.* Lin., Schaeff. t. 140. Sowerb. t. 73. Flor. Dan. t. 1500. Syn. fung. p. 554.

H. *squamosum.* Decand. Syn. pl. Gall. p. 22. H. *squarrosum.* Nees Syst. 2. p. 61. t. 32. f. 240. (Fungus junior.)

Hab. praesertim sylvas pineas et abietinas Europae magis septentrionalis. Stipes firmus, albido-cinereus, subbrevis, parum curvatus.

Subulae albido-fuligineae, cervinae. Pileus 3 aut 4 unc. latus, interdum valde dilatatur, loco et aëre faventibus.

4. *Infundibulum*, pileo carnoso-lento infundibuliformi laevi spadiceo, margine plicato, aculeis aequalibus albis, demum badiis, stipite toruloso. *Swartz l. c. Fries p. 401.*

"Raro in Sueciae pinetis. Stipes ex albido-badius, deorsum attenuatus. Pileus azonus, fere spithamaeus, margine erecto. Substantia carnoso-suberosa. Aculei longi, fragiles."

5. *album*, totum albicans, pileo laevi subinfundibuliformi, stipite ventricoso.

Erinaceus esculentus albus crassus. *Mich. gen. p. 132. t. 72. f. 2.*

Nascitur in ericetis, fruticetis sylvisque caeduis, circa urbem Florentinam, in cujus foro (Michelii tempore) venditur. — Ex magnis est et non mera var. videtur H. *repandi.*

6. *candidum*, pileo carnoso molli convexo plano, subulis hyalinis, stipite crasso subtuberoso albo. *Mycol. Haefte, 1. p. 89.*

In Saxoniae fagetis (prope Scandan), inter fol. decidua lectum. Valde fragile, pruinosum, 3-5 unc. latum. Substantia carnoso-gelatinosa, lactea, sed compressa ex rubro caerulescit. *l. c.*

7. *fuligineo-album* (versicolor), gregarium, pileo carnoso depresso lobato difformi albo-

roseo, stipite crasso fuligineo, subulis albis. *Schmidt in Myc. Haeft. p. 88.*

In Saxoniae pinetis autumno. Pileus albidus, prope marginem roseo-fuscescens: junior squamis sericeis nitens. Stipes scaber, interdum lacunosus. Subul. breves molles, ad tactum, uti pilei substantia, rubescunt. Sapor dulcis. *l. c.*

β. *repandum*, (vulgare), pileo carnoso subrepando glabro azono, aculeis inaequalibus stipiteque difformi pallidis. *Fries Syst. p. 400. Sowerb. t. 176. Flor. Dan. t. 310. Vaill. Bot. Par. t. 14. f. 5-8.*

H. *repandum*, incarnato-pallidum, pileo rugoso flexuoso sublobato glabro, subulis crassiusculis pluribus compressis: stipite tuberoso excentrico. *Syn. fung. p. 555. Obs. Mycol. 2. p. 96.*

In sylvis, inprimis frondosis, autumni initio satis vulgaris species, sparsim, aut in seriem longissimam, etiam circularem, crescens. Magnitudine est communi.

Obs. Forma et colore plus et magis extenso ludit, hinc plures dantur varietates, ab aliquibus ut species descriptae: huc pertinent H. *flavidum.* Schaeff. t. 318., H. *rufescens.* Ejusd. t. 141., H. *squamosum.* Ejusd. t. 273. (pileus rimoso-squamosus; ab aëre sicco ortus?) H. imbricatum. Bolt. t. 87. H. *carnosum.* Batsch. t. 26. f. 136. H. *clandestinum.* Batsch.

Batsch. t. 10. f. 44. (subdifforme, stipite vix ullo et aculeis longe decurrentibus notabile, ut diversam speciem diceres. H. *medium* Obs. Mycol. 2. p. 97. (subulis tenuibus, stipite crasso albido.) Etiam sequens vix ut species propria considerari potest.

* *rufescens*, minor, pileo subtomentoso tenui obsolete zonato rufescente, subulis tenuibus aequalibus incarnato-ochraceis, stipite subtenui. *Obs. Mycol. l. c. Ic. pict. fung. t. 19. f. 1.*

Hydnum repandum. *Bolt. Fung. t. 88.* non differt.

Magis solitarie crescit, etiam ad basin truncorum vetustorum sese propagat, in solo praesertim arenoso. A priore, parvitate, colore obscuriore, pubescentia tenui pilei, qui etiam circulo uno alterove saepius notatus est, sejungi possit, cum quo utplurimum confunditur.

9. *bubalinum*, submagnum, pileo carnoso-sicco glabro laevissimo dilute spadiceo, subulis tenuissimis densis dilutioribus, stipite brevissimo concolore.

Exemplar, quod e Neocomii pinetis obtinui, non plane completum fuit, pileus enim veluti dimidiatus est, sed fungum terrestrem, azonum ac carnosum esse, minime dubitandum.

Pileus acute marginatus, fusco-fuligineus, 4-5 unc. latus. Stipes difformis (in specimi-

ne), subcrassus, $\frac{3}{4}$ unc. altus. Quod ei vero peculiare est, consistit in multitudine et teneritate subularum, hae enim vix filo crassiores sunt, brevissimae, et ita spissae, ut pileum, e longinquo adspectum, subtus quasi unitum sistant.

10. *violascens*, pileo fibroso-carnoso repando tomentoso sordide violaceo, aculeis aequalibus albidis, stipite inaequali. *Consp. Fung. p. 265. Fries Syst. p. 401.*

Hab. in Lusatiae sylvis muscosis abietinis, et in Smolandia.

H. *repando* affine. Pileus molli-velutinus, Stipes firmus, saepe incurvus, longitudine varius, apice etiam 2-5-fidus. Color e griseo rufoque sordide violaceus. *Consp.*

11. *caeruleum*, carnoso-obconicum, pileo convexo-caeruleo, centro tubulisque albidis, stipite fusco. *Flor. Dan. t. 1374.* †

In Norvegiae pinetis subhumidis. Ampla descriptio et observationes ulteriores omnino desiderantur. Fungus nondum evolutus videtur.

12. *fusipes*, gregarium concrescens, pileo carnoso-coriaceo laevi glabro fuscescente aut albido-griseo, aculeis subbrevibus decurrentibus albis, stipite sublongo incrassato. *Tab. XX. Fig. 4-6.*

Incolit abiegnas Vogesorum sylvas et a D. Mougeot benevole communicatum.

Stipes unitus, aut apice divisus, 2 unc. fere longus, 3 lin. crassus, glaber, pileo concolor, plerumque aut saepius fusiformis, sed et cylindricus est. Subulae densae, imbricatae. Pileus subparvus (1 - 1½ unc.) hemisphaericus, in speciminibus luxuriantibus latitudine aliquando palmari: disco depresso subrugoso - fibroso. Exsiccatum odorem habet et diu conservat fortem Apii *graveolentis*.

** *Pileo integro (rarius dimidiato) coriaceo aut suberoso, plerumque zonis et fasciis notato centroque depresso, stipitato. Stipite centrali recto.*

13. *suaveolens*, pileo suberoso molli tomentoso albido, intus variegato (albo - caeruleoque), aculeis violaceis, stipite brevi caeruleo. *Fries p. 402. Consp. fung. p. 267. Scop. Flor. Carn. 2. p. 472.*

Hydnum pullum. *Fries Obs. Mycol. I. p. 134.* (Excl. Syn. Batschio).

Hab. in pinetis calliculosis, subaridis. Pileus grandis, compactus, inaequaliter rugosus, applanatus, tomento albido saepe obductus. Aculei tenues, formosi. Odor debilis, sed suavis: aliis Cardamomi, aliis Anthoxanti, aliis vix ullus. *Consp.*

14. *eleosma*, pileo spongioso velutino rugoso viridi - lateritio: senescente - fusco, plano - infundibuliformi, stipite brevissimo.

Hydnum fraceolens. *Brotero Flor. Lusit. 2. p. 470. Fries l. c. p. 402.*

Hab. in Lusitania ad terram humosam in pinetis, prope Conimbram. Oleum redolet. Pileus subacaulis, villosus, fossulis excavatus. Tincturae et fomiti aptum. *Br.*

15. *concrescens*, gregarium confluens, pileo coriaceo depresso rugoso - fibroso, adulto subspadiceo glabrescente, margine subulisque griseo albicantibus demum ferrugineis, stipite subtuberoso concolore. *Syn. fung. p. 556. Mougeot Stirp. Cryptog. Vog. V. 2.*

Hydnum cyathiforme. *Bull. p. 308. t. 156. Decand. Flor. Gall. 2. p. 290.*

Hydnum zonatum. *Batsch. Elench. fung. Cont. 2. f. 224.* (Stipes solummodo nimis gracilis).

Hydnum cyathiforme. *Schaeff. t. 139.* (Haecce icon ad H. *tomentosum* allegata, habitum et crescendi morem nostri fungi bene exprimit).

Aestatis fine, in sylvaticis arenosis, non rarum adest, fasciculum plurium individuorum, per pileos cohaerentium, muscis ramulisque transfixorum efformans. Rarius in pinetis occurrit. In Italia species est alpestris.

Pileus ab initio totus fere albicat et subtomentosus, convexus aut applanatus est, margine griseo - albicans, in adultis plus minusve depressus, vel scrobiculatus, subzonatus, co-

lore corio humectato similis: subulae in fungo juniore subtomentosae, albido-griseae; in vetustiore fusco-ferrugineae. Stipites secum aliquando etiam connati, saepius difformes, nonnunquam subexcentrici, subtuberoso-radicati, in adultis fere glabri, pileo concolores, longitudine item et crassitie variant.

Obs. Haec species, uti patet, quoad aetatem diversas subit mutationes, praesertim colore, sed pileo in adultis disco fibroso-sulcato, et stipite inaequali sat constans est. Hinc, me judice, pleraeque sequentes, modo ut varietates considerari debent, saltem cum nostra valde cognatae sunt, et hunc in finem accuratius requirunt examen.

* *confluens*, dilatatum cespitosum confluens, pileo convexo subtomentoso rugoso-lacunoso albido-fuscescente, subulis densis subbrevibus albo-pallentibus, demum (exsiccando) griseis, stipitibus pluribus subtenuibus fuscis, demum etiam nigrescentibus.

Hydnum hybridum. *Bull. champ. p. 307. tab. 453. f. 2.?* (Icones equidem non prorsus conveniunt, tamen ad hunc fungum magis accedunt).

Hydnum spongiosum. *Batsch El. fung. Contin. 2. t. 40. f. 221*, (ad statum valde adultum delineatum, saltem nulli aliae speciei convenit).

Hab. frequentius in sylvis frondosis, non-

nunquam conjunctim cum antecedente, cujus aetatem nondum plane adultam aut varietatem exhibere videtur, colorem formamque propriam conservans.

Pilei subcarnosi, plures ita intense concrescunt, ut unum modo esse simulent; ab initio albicant et pubescunt, superficie irregulares, nec aut parum depressi et azoni: hoc omne statum imperfectum indicat. Stipites unc, 1 et ultra longi, crassitudine varii, subliberi, fere nigrescunt. Odor, uti in antecedente, sed adhuc magis vehemens, apioides, praesertim in exsiccatis, diuque remanens.

16. *compactum*, solitarium submagnum obconicum ex albido cinereo-fuscum, pileo planiusculo, flexuoso-rugoso pubescente, stipite crasso subbrevi cum pileo confluente. *Syn. fung. p. 556. Schaeff. t. 146. et tab. 147. f. 2-6.?* (Fig. 1. fungum epixylon sistens forte Thelephorae species est).

H. *compactum*, pileo suberoso undulato tomentoso olivaceo cinereo, intus fusco, et caeruleo variegato, stipite brevissimo. *Fries Syst. 1. p. 402.?*

In pinetis aut sylvis frondosis et ericetis crescit. *Var.* deformata et luxurians prioris forte est.

β? striatum, pileo suberoso molli velutino ferrugineo, intus azono, aculeis stipiteque in-

aequalibus concoloribus. *Fries l. c.* (H. ferrugineum.) *Schaeff. t. 271.*

Cum H. *compacto* (quocum tamen conforme) plurimi commutant. Stipes saepius longus (in icone Schaefferiana brevissimus est pictus). Pileus obconicus, dein dilatatus, planus vel depressus, tomento albicante et obsoleto pubescens, intus mollis ferrugineus. Aculei fusco-ferruginei. *Fries.*

17. *tomentosum*, subconcrescens, pileo coriaceo plano infundibuliformi cinereo, medio villoso, margine aculeisque albis. *Fries, p. 405. Linn. Flor. Suec. p. 455.*

Hydnum cyathiforme. *Flor. Dan. t. 1020.*

β. atro-album, pileo profundius excavato violaceo-atro, margine cum subulis albo. *Consp. fung. p. 267.*

In Germaniae, Daniae et Sueciae pinetis et ericetis, sed minus commune, provenit. Stipes cinereus, subtuberosus, basi saepe crustaceo-effusus. Aculei breviusculi, decurrentes, nec decolorantur. Pileus (concrescens) fasciis discoloribus, in medio fusco-tomentosus. *Fries.*

Pileus *fuscus* aut cinereus, tomentosus, centro pervius, margine albus. Aculei albi. Stipes fuscus. *Linné.*

Obs. Nimis affine forsitan H. *concrescenti*, ut idem fungus, nondum adultus, videatur, et probabile est, Linnaeum ambos sub uno nomine comprehensisse, cum concrescens

junius quoque tomentosum margine subtusque album, etiam in Suecia non rarum sit, hinc ei vix ignotum esse posset.

18. *nigrum*, pileo coriaceo-suberoso tomentoso azono caeruleo-nigro, intus stipiteque atris, aculeis albidis. *Fries, l. c. p. 404. Mich. gen. pl. p. 133. t. 72. f. 5.* (Secundum quem vero aculei plumbei sunt.)

β? polyceps, totum nigrum, pileis pluribus liberis minoribus glabris? in stipitem ventricosum confluentibus. *Mich. l. c. p. 132. t. 72. f. 6.* (Fungus dubius.)

In Sueciae pinetis montosis. Sparsum, saepius caespitosum, varie concrescens, nec forma constans. Stipes radice subbulbosa, saepe producta auctus, uncialis, basi praecipue tomentosus. Pileus inaequalis, subtenuis, tuberculosus, margine saepe albido. Aculei dein cinerei. *Fr. Conf.* cum H. *confluente.*

19. *cinereum*, totum cinereum, pileo depresso fibroso-rugoso, stipite crassiusculo subtuberoso. *Batsch El. Fung. Contin. 2. p. 107. t. 40. f. 223.*

Hab. in Germania et Helvetia, forte etiam in Gallia. Stipes subelongatus, validus obtuse plicatus, basi subbulboso-tumens. Pileus fusco-olivascens, margine griseus, tomentoso-sericeus, *B.*

Obs. In omnibus fere convenit cum antecedentibus excepto colore, qui est glauco-ci-

nerens, interne vero obscurus et nigricat. Odor ei nullus, hinc non *var.* H. *suaveolentis*: H, *nigro*, cum, quo conjungitur a D. Fries, forte nimis proximum. H. *cinereum. Bull. I. p. 309. t. 419.* mihi dubium, et ad siccum specimen, uti videtur pictum, vix a H. *concrescente* diversum est, nisi modo sequens sit, rarius his in regionibus proveniens.

β. griseum, gregarium, pileo subtomentoso, fere azono, fuligineo-griseo, aculeis teneris dilute cinereis, stipite nigrescente.

Magnitudine communi, stipite sublongo, et glabro est.

20. *aurantiacum*, pileo inaequali tomentoso aurantiaco, margine albido, stipite subbrevi pileo concolore. *Batsch l. c. t. 40. f. 222. Consp. fung. p. 265. Flor. Dan. t. 1439?* Fungus junior? aut species diversa, pileo tuberculis mammillosis, margine unicolore, discrepans?

Amat pineta (aut sylvas frondosas) editiora. Aculei primo albi, dein subspadicei (aut subgrisei). Pileus rugoso-colliculosus, 1½ unc. latus. *Consp.*

21. *velutinum*, pileo subcoriaceo infundibuliformi laevi velutino azono, aculeis testaceo-ferrugineis, stipite tomentoso-concolore. *Fries Syst. l. c. p. 404.* †

In Abiegnis colliculosis, in Suecia.

"Optime distinctum (figura *Michelii t. 72.*

f. 4. ab auctore tanquam bona laudata, ab H. *concrescente* non valde dissentire mihi videtur). Odore fere farinae recentis. Stipes radicatus, demum difformis, tomento spongioso postea vestitus. Pileus ad unc. 1 latus, disco subero-so, margine tenui striato flaccido. *Fr.*"

22. *connatum*, pileo coriaceo infundibuliformi fasciato spadiceo, aculeis ochraceo-cinereis, stipite tenui nigro nitente-glabro. *Schultes Flor. Stargard. p.* 491. †

In pinetis, in Germania. Gregarium, confluens. Descriptio non bene finita est.

* *scutatum*, subsolitarium parvulum spadiceum, pileo tenui azono glabrescente, hinc inde lacunoso, convexo, subulis tenuissimis, stipite brevi laevigato glabro conico.

Autumno, prope Versalias, in quercetis repertum et communicatum a D. *Bard.*

Hicce fungus, quem ab H. *concrescente* separandum autumo, eo multo minor est, ad tactum valde laevis, quasi inanis, etiam in caespitem haud connatum nascitur. Pileus 1½ unc. latus, scutiformis, qui in speciminibus, quae coram me habeo, glaber est et disco non umbilicatus; sed hinc inde fossulis exaratus. Subulae (in sicco) sublongae, densae, criniformes, pileo concolores. Stipes ½ - ¾ unc. longus.

23. *leptopus*, caespitosum parvum, pileo coriaceo tenui ruguloso glabro zonato subde-

presso rufescente-fusco, subulis albido-griseis, stipite elongato tenuissimo, utplurimum diviso, nigrescente.

β. pullum, pileo demum spadiceo-nigrescente, margine subulisque albidis, stipite connato-ramoso nigrescente. *Schaeff. fung. t. 272.*

Hydnum tomentosum *γ.* atro-album. *Consp. fung. p. 266.* H. tomentosum. *Rebentisch. Prodrom.* ?

H. *melaleucum*, pileo convexo-plano subzonato glabro, vertice scrobiculato atro-violaceo, margine subtusque albo. *Fries Obs. Mycol. 1. p. 141.*

Vegetat nitida haec species in pinetis, locis muscosis montosis. Praeter colorem, stipite valde tenui, saepius connato, interdum simpliciter diviso, basi angustato, ab antecedentibus differt. Pileus umbilicatus, planus, zonatus, cum vicino saepe connatus, hinc irregularis, tenuis. *Var. β.* in speciminibus siccis et adultis quidem nigra, sed juvenilis subcinerea est.

γ. graveolens, gregarium parvum, pileo tenui glabro fusco-griseo unicolore, subulis pallescente-griseis, stipite tenui simplici pileo concolore.

Hab. prope Viennam, in Delphinatu, in sylvaticis, inter muscos acervatim pullulans, nec tamen concrescens, stipitibus liberis forma

antecedentis, sed eo paullo minor, etiam differt, in recenti jam statu, odore forti apio simili. Communicatum a *Delastre.*

24. *Auriscalpium*, pileo coriaceo tomentoso spadiceo, latere exciso (vel dimidiato), stipite longo tomentoso concolore. *Schaeff. t.* 143., *Bull. t.* 481., *Sowerb. t.* 267. *Flor. Dan. t.* 1020.

Jam antiquitus et satis nota parvula haec species descriptione vix eget. Forma et evolvendi modo supra *strobilos* vetustos Pini *sylvestris*, ab aliis discerni se mox sinit. In *Conspectu fung. p.* 270. enumeratur var. *bicolor*, pileo albido, ambitu ferrugineo.

*** Tremellodon. *Substantia tremellosa, exsiccata fatiscens. Pileo dimidiato.*

25. *gelatinosum*, albido-glaucum, pileo utrinque plano, stipite laterali. *Syn. fung. p.* 560. *Jacq. Flor. Austr.* 3. *t.* 239.

α. dichroum, majus superne brunneum. *Consp. Fung. p.* 269. H. crystallinum. *Flor. Dan. t.* 717.

β. horrens, aculeis undique obtectum. *Jacq. Coll.* 1. *p.* 139. *t.* 9.

γ. clandestinum, subgelatinosum, irregulare lobatum, basi contractum caesium, (stipite nullo?) *Nees System.* 2. *p.* 61. *t.* 32. *f.* 244. *Schaeff. t.* 144. H. gelatinosum.

A ceteris valde discrepat; proprium forte constituens genus. Insertum est truncis et ra-

mulis abietinis. Pileus, uti et stipes, squamulis minutis distinctus, nec glaber. *Var.* γ. solertius inquiri meretur, nam ex icone Schaefferiana, cum vulgari pro habitu non congruit.

**** Apus. *Pileo coriaceo (passim carnoso) dimidiato, subtus aculeato.* (Truncigenae). *Nonnulla Sistotremata.*

26. *cirrhatum*, magnum, pileo carnoso imbricato subflexuoso albo-pallido fibrilloso, subulis longis tenuibus. *Syn. fung. p. 558. Flor. Wetterav. 3. p. 352. Fries. 1. p. 411.*

Innascitur, locis montosis, Fagorum et Quercuum truncis. Plerumque 3-4 unc. latum, subreniforme, cirrhis sparsis (subulis abortivis?) superne hirtum. Variat colore flavo et rufescente: H. *paradoxum.* Schultz Starg. p. 492?

27. *versidens*, pileo carnoso molli albido, superne dentibus sparsis variis incisis, aculeis confertis aequalibus. *Fries, Syst. l. c.*

Incolit Betulae *albae* truncos in Suecia. Forma inconstans, plerumque latere ascendens, rarius in stipitem porrectum, etc. *Fr.*

28. *leoninum*, pileo carnoso laevi glabro flavescente, aculeis subulatis albidioribus. *Fries, l. c. p. 411.*

Crescit cum priore. Quoque variare dicitur. Primo tuberculiforme. Olens. Caro mollis, alba. Aculei sublongi, acuti. Magnitudine biunciali.

29. *minutum*, pusillum, pileo carnoso laevi

albido-ochraceo, aculeis longis inaequalibus concoloribus. *Schum. Flor. Saelland. p. 394. Fries, l. c. p. 412.*

In Dania et palum quemdam abietinum putrescentem lectum. Habitu H. *ochracei*, sed substantia et aculeis longis, H. *cirrhato* proximum. *Fr.*

30. *pachyodon*, dimidiatum carnosum, basi subeffusum, pileo glabro subrepando albicante, subulis crassis: marginalibus compressis, teretibus intermixtis concoloribus.

Ad truncos quercuum vetustos in Gallia. (Delastre).

Latitudine biunciali, et 3 lin. fere crassum azonum. Aculei plures crassiusculi, praesertim illi qui marginales sunt, in medio aequales, conferti.

31. *lutescens*, dimidiatum, pileo coriaceo subtomentoso lutescente, aculeis brevibus obscurioribus.

Hab. in Normannia (Gallia). Boleto seu Polyporo *lutescenti* colore et habitu simile; adsunt quoque zonae nonnullae semiconcentricae, impressae. Tomentum pilei brevissimum substrigosum. Aculei conferti, sat crassi, concolores.

32. *pectinatum*, imbricatum, pileis effuso-reflexis hirsutis albis, aculeis subulatis concoloribus. *Fries. Mich. Gen. pl. p. 122. no. 5. t. 64. f. 4.*

Ad vitium pedamenta, tam in urbanis hortis, quam in agris, a Michelio repertum. Ex icone *Thelephorum* aut *Polyporum* quemdam vulgarem sistit, pileis lobatis, basi porrecta, ligno adnatis.

33. *orbiculatum*, pileis imbricatis obliquis orbiculato-concavis villosis albis, aculeis tenuibus griseis. *Syn. fung. p.* 559. *Mich. p.* 122. *no.* 6. *t.* 64. *f.* 5. H. pectiniforme. *Batsch. El. fung. p.* 113.

Mense Martio a Michelio repertum. Subconchiforme, 1½ unc. latum.

34. *lacteum*, album, pileis coriaceis conchatis villosis, aculeis confertis seriatis acutis subincisis. *Fries Syst.* 1. *p.* 412. *Ejusd. Sistotr. Obs. Mycol.* 2. *p.* 266.

Rarius in Suecia, ad ramos et truncos fagineos. Pilei imbricati, basi subinde effusi, unciales, azoni. Aculei in junioribus non porosi, in series dispositi, longi, compressi, aut teretes, integri. *Fr.*

35. *occarium*, imbricatum, pileis dimidiatis (postice abruptis) villosis albis, aculeis crassis planis. *Fries, Batsch l. c., Syn. fung. p.* 559. *Mich. p.* 122. *no.* 4. *t.* 64. *f.* 3.

In Italiae truncis, Mense Nov. Situ horizontali, pileo tenui, et dentibus crassis distantibus, (forte *Sistotremeis*) a reliquis mox distinguitur.

36. *strigosum*, pileo coriaceo rugoso squamu-

loso-strigoso nigrescente, subulis longis cinereis. *Fries*, *p.* 414. *Swartz Act. Suec.* *p.* 250.

Hydnum parasiticum. *Syn. fung. p.* 558. *Ic. et Descr. fung. p.* 55. *t.* 14. *f.* 1.

Increscit arboribus frondosis, in Suecia, Norvegia et prope Berolinum. Tam colore, quam squamis adpressis inciso-setosis notabilis. Substantia sicca, fuscescens. Subulae, pro ratione, longae, marginales saepe inter se connatae.

37. *septentrionale*, pileis fibrosis latissimis subtenuibus inaequalibus, aculeis longis gracilibus lutescentibus. *Fries Syst. p.* 414.

Ad caudices in Suecia a b. Swartzio detectum. Pilei imbricati, concrescentes, latitudine spithamei, recentes lutei? exsiccati fuscescentes, substantia lenta, albo-lutescenti. Aculei setacei ½ unc. longi, aequales. *Fr.*

38. *ochraceum*, effuso-reflexum subimbricatum, pileo coriaceo-membranaceo zonato ochraceo, aculeis minutis ochraceo-carneis. *Syn. fung. p.* 559. *t.* 5. *f.* 5. *Obs. Mycol.* 1. *p.* 70. *Consp. fung. p.* 268. H. Daviesii *Sowerb. t.* 15.

β. resupinatum, longitudinaliter effusum, inferne subtomentosum albidum, margine inflexum, subulis congestis tenuibus rufo-ochraceis. — Hydnum spadiceum. *Desvaux Journ. de Botanique.*

Ad

Ad truncos *Pineor* et *Abietis*, sat rarum et nitidum. Unc. 1 - 3 latum. Pileus, magna ex parte, effusus, adultus tamen reflectitur margine repando. Subulae breves, acutae, nitidae. *Var. β.* in Gallia proveniens, tota resupinata et longitudine triunciali fere est, sed colore, *cet.* convenit, ita ut mera varietas videatur.

Obs. Auctores *Conspect. fung. l. c.* duas varietates aut subspecies adhuc commemorant, quae a vulgari nimis recedunt, quasque sequenti modo breviter adnotarunt:

* *integrum* (*Niskiense*) pileo integro regulari infundibuliformi, stipite firmulo centrali perpendiculari.

Terrestre, parvulum, 4 lin. latum et altum. In umbrosis udis lectum, Septemb.

* *muscorum*, totum resupinatum, subiculo (pileo obsoleto) laxo tomentoso albo, margine subreflexo, subulis conicis acutis mediocribus, ex ochraceo - rubellis.

In *Fissidente* (Leucodonte, Schw.) *sciuroide*, ad truncum *Ulmi*, sub finem Augusti, est observatum. Transitum naturalem ad sequentem cohortem seu divisionem efficit.

**** Odontia. *Pileo* resupinato, coriaceo, membranaceo aut toto fere villoso, interdum vix ullo. Aculeis (plerumque) tereti - subulatis, integris (nec ex tubis aut

poris, demum laceris, ortis.) *Sistotremata quaedam.*

✝ *Subiculo* (pileo) *obsoleto aut nullo.*

39. *macrodon*, ex albo rufescens, subulis obliquis longissimis pendulis. *Syn. fung. p. 560.*

Ad vetustos truncos pineos, uti sequens, in Misnia. Subiculum vix ullum, sed subulae basi coalitae, dependentes.

40. *fasciculare*, effusum, subiculo nullo, subulis fasciculatis mediocribus pendulis. *Conspect. fung. p. 269. t. 10. f. 9.*

In Lusatia non infrequens. Fasciculi ex albido pallentes, totum constituunt fungillum. Aculei, numero 4 - 12, basi connati, 3 - 4 lin. longi. *Consp.*

41. *calvum*, niveum pallens, subulis confertiusculis tenuibus acuminatis, e ligno solis erumpentibus, seu subiculo nullo. *Consp. p. 271. t. 10. f. 8.* ✝

Innascitur lignis pineis putrescentibus, autumno et hyeme leni, in latitudine nonnullarum unciarum. Sed an subulae *glabrae* aut *farinaceae* sint, et tunc *Isariae* speciem constituentes, non affertur.

Obs. Tres simplicissimae, quae praecedunt species, eodem respectu sunt ad Hydna, quo *Soleniae* ad Boletos, habitu interea magis conformes, sunt cum *Odontiis* quam Soleniae cum *Poriis.*

†† *Subiculo manifesto.*

* *Colore albicante et pallido.*

42. *acutum*, albido-pallens, subiculo tenuissimo cum matrice confluente (subobsoleto) pruinoso, aculeis distantibus acutis firmis: paucis compressis.

Ad lignum populneum emollitum invenit D. Chaillet. Unc. 1-2 effusum, habitum peculiarem sistit, ad Sistotremata accedens. Subiculum ex ligni superficie unita submembranacea quasi compositum, et obiter visum, vix apparet. Dentes e contrario majusculi, rigidi.

43. *fragile*, subiculo membranaceo albido, subulis longissimis subflexuosis. *Syn. fung. p. 561.*

Subiculum tenue, a ligno, ubi provenit haec species, liberum, membranaeforme. Subulae ½ unc. longae, fragiles, confertae.

44. *mucidum*, glabrum aut subtomentosum albidum, subulis subelongatis confertis. *Syn. fung. l. c. Consp. fung. p. 270.* H. byssinum. *Schrad. Spic. p. 177.?*

In truncis, praesertim Salicum, humiditate emollitis passim crescit. Ad longitudinem aliquot ulnarum (specimen a me lectum palmare fere est) quandoque effusum. Subiculum nunc tomentosum, nunc laeve. *Consp.*

45. *niveum* late effusum album, margine byssino, subulis confertis brevibus subacutis

glabris. *Disp. meth. fung. t. 4. f. 6-7. Consp. fung. p. 271. Fries Syst. 1. p. 419.*

β. fimbriatum, candidum fugax, ambitu radioso-fimbriato, aculeis granulosis. *Fries, p. 420.*

Ad ligna *Pini* fabrefacta, aut viva sylvatica. Latitudine varium. Aculei minuti subacuti, glabri. *Fr.*

46. *diaphanum*, membranaceum tenue subglabrum albidum, aculeis confertis subulatis. *Schrad. Spicil. p. 178. t. 3. f. 3. Conspect. fung. l. c.*

Ad *Fagorum* aut *Betularum* truncos caesos occurrit. Subiculum papyraceum, subadpressum; sub lente observatum, tomentosum, adultum glabrum pellucidum. *S.*

β. pellucens, subiculo tenerrimo diaphano vel nullo, aculeis tenuibus flaccidis. *Fries Syst. p. 418.* Ad cortices *Betulae.* Aestate.

47. *Agardhii*, subcarnosum glabrum albidum, intus virescens, aculeis minutis obtusis, apice rubris. *Fries l. c.*

In Sueciae truncis abiegnis provenit. Late effusum, arcte adnatum, nunquam villosum, etiam margine. Aculei breves, juniores albi. *Fr.*

48. *subcarnaceum*, effusum subglabrum albo-rufescens, aculeis longis acutis. *Fries Obs. Mycol. 2. p. 271.*

Ad truncos Betulinos dejectos. Latum,

arcte adnatum, margine vix byssino, demum rufescens. Aculei conferti, 3 - lin. longi, aequales. *l. c.*

49. *farreum*, longe lateque effusum, subiculo subtenui tomentoso albo, aculeis densis compactis teretiusculis ex albido laete ochraceis, apice subincisis.

Inveni hunc fungillum, vere, prope Parisios, in ramis carie emollitis, locis suffocatis dejectis.

Ad spithamam fere effusum, ligno arcte adnatum; primo orbiculare est, dein plura individua in crustam confluunt, ambitu saepe irregulari, aetate juniore albido - farinaceum. Aculei ab initio ferme granuliformes sunt, et aliquando in globulos distantes aggregati, nunquam poriformes.

50. *denticulatum*, flavo - ochraceum nitidum, longitudinale, subiculo tenui glabro subfarinaceo, subulis densis aequalibus, margine denticulatis.

Ad ligna sicca cariosa. Species sat pulchra et bene conformata. Substantia est carnosa, saltem in aculeis, qui magna in copia adsunt, omnes erecti, sublongi, vix apice, sed margine denticulis parcis donati. Color fungilli laete lutescens, fere flavo - vitellinus.

51. *Muscicola*, membranaceum albicans, forma varium (ob locum), subulis tenerrimis subelongatis.

Hab. in Gallia, supra et inter muscos, iisque adcrescens, hinc forma est indeterminata. Subiculum tenue, glabrum, e membrana tenui compositum.

52. *stipatum*, latissime effusum villoso-furfuraceum albidum, dentibus confertis granulaeformibus. *Fries*, *l. c.*

Ad lignum *Alni* prostratum, Vere, Autumno. Tenue, subevanescens, adnatum, in ambitu saepe sterile et furfuraceum. Aculei dein elongati, integri, vel minute dentati, glabri. *Fr.*

53. *subtile*, latissime effusum tenerrimum glabrum aquose albidum, aculeis distantibus granulaeformibus, tenuissime incisis. *Fries Syst. I. p. 425.*

Ad cortices *Betulae*. Subiculum tritu evanescit, forma indeterminatum, colore subhyalino.

54. *Vitalbae*, elongatum crustosum album, aculeis minutissimis teneris subtomentosis incisum.

Clematiditis *Vitalbae* ramos exsiccatos obducit subiculo crustaeformi. Primo obtutu H. farinaceo simile, quo sub nomine etiam missum fuit, sed magis compactum est et minus pulverulentum; praecipue vero differt aculeis valde delicatis, fere plumosis, confertis et sub lente examinandis. Sed haesito, an individuum plane maturum fuerit, dum legebatur.

55. *farinaceum*, effusum crustaeforme pallidum, ambitu subbyssino, aculeis tenuissimis subdistantibus acutis. *Fries, l. c. p. 419. Consp. fung. p. 270.*

Ad truncos, ligna Alnea, Corylea. Subiculum albicans, formam stratam refert. Aculei in acumen tenuissimum exeunt. *Consp.*

* *crustosum*, effusum crustaeforme opacum album subfarinaceum, aculeis minutis obtusis. *Syn. fung. p. 561. Obs. Mycol. 2. p. 16. Nees System. f. 247. Consp. fung. l. c.*

Inhabitat praesertim Salices vetustas, etiam ad ligna pinea rarius adest, in crustam 3-4 lin. latam, disseminatum. Subulas in eodem individuo vidi, teretes, compressas, nonnullas subincisas, omnes farinaceas, hinc sequens vix ut species ab antecedente separanda foret. "Subulae aegre visibiles, per lentem apice concavae apparent, annulo prominulo quasi cinctae." *Consp.*

56. *obtusum*, effusum candidum, aculeis teretibus obtusis apice villosis. *Syn. fung. p. 562. Schrad. Spicil. p. 178.*

In truncis Fagorum. Biunciale, margine demum introflexum. Aculei minuti, erecti. *S.* An Sistotrema?

57. *sudans*, albido-pallens, subiculo laevi tenuissimo, subulis distantibus teretibus truncatis, apice excavatis stillantibus. *Consp. fung. p. 272. Decand. Flor. Gall. Suppl. p. 35.*

Aberrans haec species in Lusatia et prope Neocomium indagata est, ad ligna exsiccata proveniens. Subulae crassae, obtusae, guttulam primo viscosam pellucidam, demum induratam et persistentem, exsudantes.

58. *helveticum*, irregulare sublate effusum, compactum, aculeis minutis subrotundo-teretibus glabris.

Hydnum obtusum, *Schleicher*, exclus. Synonym.

Trunci superficiem arcte incrustat, et intra eorum fissuras intrat in formam *Himantiae*. Subiculum tenue, et, oculo non armato, glabrum et veluti farinaceum apparet, ceterum densum colore alutaceum.

59. *granulosum*, elongatum; subiculo tenui alutaceo glaberrimo, dentibus minutis granulaeformibus.

Thelephora granulosa. *Syn. fung. p. 576.*

β. albicans, subiculo sublaxo, colore albido.

γ. rimosa, major, dentibus tereti-granulosis congestis, subiculo subcrasso, demum rimoso.

Hab. ad ligna exsiccata. Magnitudine varium, var. γ, quae forsitan species est, ultra spithamam lata. Primo intuitu *Thelephoram* sistit, dentes enim vix conspicui, sed omnes inter se aequales, nec papillis similes sunt. γ. forsitan species propria.

* *mutabile*, incrustans glabrum laeve, primo

griseum, dein (exsiccando?) sulphureum, aculeis minutis granulosis.

Provenit rarius ad cortices quercinos, sub quorum epidermide initium faciens, et per fissuras aut foramina majora supra ejusdem superficiem sese expandit, sed latitudine mediocri, vix unciam latum est. Si recte meminerim, recenti in statu griseo-cinereum fuit, sed post aliquot tempus, colorem assumsit amoene flavum. A H. *granuloso* differt contextu teneriore, submolli. Cum *Thelephora* quadam non confundendum.

60. *cristulatum*, tenue rubescens, ambitu candido byssino, aculeis granulosis elongatis villosis, apice cristatis. *Fries*, *l. c. p.* 422.

Ad truncos *Betulae* in Suecia. Plura individua, in crustam latissimam confluunt, quae ob discum (antea candidum) mox rubescentem, colore varia fiunt. Subiculum adnatum persistit, sed aculei, qui conferti et minimi sunt, evanescunt. *F.*

61. *fallax*, interrupte effusum tenue, ambitu byssino albo, aculeis minutis confertis incisis flavidis. *Fries l. c. Ejusd. Obs.* 1. *p.* 130.

Ad hymenium seu stratum tubulosum Polypori *fomentarii*, ac rarius ad ligna vetusta crescit. Subiculum tenue, villoso-furfuraceum, digito pressum fugax, etiam *nullum*. Aculei inaequales, compressi, acuti. *Fr.* — An haec, nec non antecedens forte *Sistotremata*?

62. *ochroleucum*, longitudinaliter effusum tenue dilute ochraceum, subiculo subfarinaceo cohaerente, margine subbyssino, aculeis minutis subgranuliformibus, aliis teretibus leviter incisis.

Rarius ad truncos quercinos, quibus arcte adnatum, nec abstergendum, substantia tamen sat molli. Latitudine quadriunciali est vel minus, et *Thelephoram* primo intuitu refert. (*Ex schedulis meis.*)

subtile, latissime effusum tenerrimum glabrum aquose albidum, aculeis distantibus granulaeformibus tenuissimis incisis. *Fries Syst.* I. p. 425.

Ad cortices *Betulae*, in Suecia. Subiculum forma indeterminatum, matrici adnatum, sed digito tritum evanescit. Aculei brevissimi, sub lente, acute incisi. *Fr.*

63. *fimbriatum*, late effusum membranaceum subcostatum incarnato-rufum, ambitu fimbriato, aculeis granulosis, dein multifidis. *Fries l. c. p. 421.*

Sistotrema fimbriatum. *Syn. fung. p. 263. Obs. Mycol.* 1. *p.* 88. (*Tab. VI. Fig.* 5 *et* 6.)

Hab. ad ligna carie emollita, sed non frequens. Subiculum plerumque lato effusum est, membranaceum, siccum, margine, plus minusve, in fibrillulas, longitudine varias, et sparsas solutum. Aculei densi, sed brevissimi. Color etiam lutescens est. Variat insuper, subi-

culo margine nudo seu fimbriis non ornato: *β. denudatum.*

64. *alutaceum*, effusum glabrum pallide ochraceum, aculeis minutis acutis. *Fries Syst.* I. *p.* 417.

Ad ligna putrida *Pinea*. Subiculum arcte adnatum. Aculei conferti, erecti, glabri. *Fr.* Fungil. sat dubius videtur, descriptio saltem nonnullis aliis convenit.

65. *bicolor*, effusum tomentosum album, aculeis minutis, rectis, acutis, e rufo spadiceis, apice nudis. *Fries, l. c. p.* 417. et *Consp. Fung. p.* 270.

In lignis truncisque, praesertim *Abietinis*, vetustis, emollitis, hinc inde; vere et sero autumno. Subiculum spithamaeum, e colore albo in pallidum transit. Aculei distincti, circa basin albo-lanati. *Consp.*

Obs. In specimine sub hoc nomine, ab auctoribus olim communicato, nisi specimimum permutatio facta fuisset, nullam differentiam, tam forma quam colore, ab H. *granuloso* perspicio. Interea D. Fries eamdem repetiit descriptionem ad fungum, uti dicit, *vivum*, institutam.

66. *udum*, late effusum tenue subgelatinosum glabrum aquose lutescens, aculeis confertis inaequalibus furcatis fimbriatisque. *Fries, l. c. p.* 422.

In Suecia ad lignum *Alni* putrescens re-

pertum. Natura mucidum, ambitu gelatinoso-membranaceo. Aculei molles, glabri, plurimi teretes et furcati, alii compressi, fimbriati. *Fr.*

67. *membranaceum*, effusum tenue glabrum fulvo-ferrugineum, aculeis integris rectis. *Fries*, *l. c. p.* 414. (exclus. synonymis?)

Ad ligna *Pini*, aestate. Fungus junior pallidus, dein subfuscus, ambitu vix distincto. Aculei aequales. *Fr.*

* *stenodon*, glabrum tenue carnoso-membranaceum lutescente ferrugineum, subulis aequalibus angustis integris (depressis?).

In specimine a D. Chaillet, sub nomine H. *membranacei* Decand. (?) accepto, et prope Neocomium mense Aprili, inter corticem et lignum Quercus, observato, sequentia observo. Situ elongato ad 3-4 unc. crescit, sed vix ½ unc. latum. Substantia fungi recentis mollis videtur, nam aculei in sicco subpellucidi sunt et fere carnei, hi insuper omnes depressi, cum subiculo quasi connati, forsitam ob compressionem corticis, omnes integri, satis longi, sed angusti lineares. — Hic fungillus a Sistotremate *quercino* omnino diversus videtur.

68. *castaneum*, effusum laeve, primo glaucum dein badium, subulis longis confertis. *Conspect. Fung. p.* 269.

β. *atrofuscum*, glabriusculum, junius glaucum, dein ferrugineo-fuscum, aculeis nigricantibus. *Fries*, *p.* 416.

Nascitur in lignis putrescentibus suffocatis *Pop. Tremulae*, in Lusatia; *β.* in *Betula alba*, in Suecia.

Fungus pulcher est, et late effusus, quoad auctores laudatos; aetate juniore, materie crustacea et caesia obtectus, hac vero evanescente, et in meram pruinam abeunte, color prodit saturate castaneus, sub lente parum tomentosus. Aculei laeves, teretes. *β.* primo orbicularis est, unc. 1 fere lata, margine saepe byssino caesio. Aculei subbreves, obtusiusculi, juniores cervini.

* *fuscum*, glabrum unicolor badium, subulis attenuatis confertis longissimis. *Tab. XVII. Fig. 3.*

Ex alpibus Vallesiacis (in Helvetia) misit Thomas.

Obs. Fungus, qualem accepi et depingi curavi, jam adultus fuit, colore opacus, spadiceus, nec equidem praepulcher; quomodo ille in junioribus sit, hinc ignoro. Ut speciem *incertam* interim indicare, melius esse arbitratus sum, donec a anteriores mihi ex autopsia cognitae erunt.

69. *ferrugineum*, undique tomentosum ferrugineum, subulis subacutis. *Syn. fung. p. 562. Schrad. Spicil. p. 177. t. 4. f. 2.* H. tomentosum.

Rarius provenit ad truncos, passim sub cortice ramorum aridorum, 2-3 unc. longum.

Subiculum ex tomento denso contextum. Aculei pariter tomentosi, acuti, nonnulli bifidi.

β. obliquum, subulis rarioribus obliquis, nonnullis compressis. *Consp. fung. p. 270.*

Inventum in ligneis vetustis fabrefactis pineis dolii cujusdam, in terra defossi, medio Novemb.

70. *rubrum*, effusum tomentosum rubro-sanguineum, aculeis parvis subcompactis.

Repertum prope Charcow in Ucrania, a D. *Tschernioeff*, muscos lignaque putrescentia investiens. Substantia tota est byssoidea seu tomentosa. Dentes solummodo sub lente bene distincti apparent, et inter se distant.

Obs. Verosimile est, quod Thelephora *anthochroa*, Syn. fung. p. 576., loco et colore conveniens, hujus status *junior* sit.

71. *viride*, effusum tomentosum molle viride, dentibus crassiusculis difformibus subincisis. *Consp. fung. p. 262. t. 6. f. 4.* (Sistotrema.)

In Lusatia, truncis lignisve semiputridis *alneis* increscens detectus est hic fungus, qui admodum mollis, levi pressione destruendus; siccus tamen et intactus diu persistit. Color viridis, coeruleus aut aeruginosus, in speciminibus exoletis expallet.

Subiculum e tomento tenui, in membranam nunc totam appressam, nunc margine inflexum, conflatum, longitudine quandoque spithamaea et latitudine aliquot unciarum. Den-

tes forma varii plerique tamen subconici, alii compressi, subincisi. *Consp.*

β. *psittacinum*, farinaceo-tomentosum aeruginosum, dentibus crassiusculis conicis integris.

Hab. in Gallia. Ab antecedente non diversum puto, textura ejus solummodo magis farinacea, quam tomentosa est, et dentes sat conferti, aequales, teretes, unus alterve apice subincisus. Genuina Odontia mihi videtur.

LXXVI. Sistotrema. *Pileus* coriaceus, integer, dimidiatus, aut resupinatus. *Dentes* difformes (plerumque), integri aut incisi, denudati aut apice villosi, alii e poris orti, hinc basi utplurimum cohaerentes.

† Xylodon, *pileo resupinato hinc obliterato. Dentes firmi, superficiales.* (Nonnullae Hydnoodontiae. Sistotr. *violaceum*, *paleaceum*. Polyporus *versiporus*.)

* *Subiculo glabro, magis membranaceo.*

1. *taurinum*, latissimum coriaceum glabrum ligneo-fuscescens opacum, dentibus congestis subintegris, basi complanatis.

Prope Taurinum, supra corticem Quercus lectum a Prof. Balbis.

Specimen transmissum 6 unc. et plus longum, 3 fere latum. Subiculum tenue, membranaceum, tenax, tomento brevi, sub lente visum, adspersum, et cortice leviter adnatum.

Subulae plurimae quidem regulares, sat tenues, tenaces, nonnullae apice compressae, et latere dentatae; omnes vero basi dilatatae et subconnatae. Color fere cervinus, inamoenus.

2. *quercinum*, glabrum pallidum fuscescens; dentibus crassiusculis incisis subadpressis. *Syn. fung. p. 552.*

Hydnum membranaceum. *Bull. t. 481. f. 1. Sowerb. t. 327.* (Icones non obstant.)

An Boletus obliquus. *Bolt. t. 87?* (Figura rudis).

In ramis, aut potius in ipso ligno exsiccato Quercuum, sat rare observatur, ad 3-4 unc. effusum, sed parum crassum, praesertim dentes, qui inter se valde approximati, imo connati sunt, nonnulli liberi et subulati.

β? *Radula*, longissimum ex albido rufescens glabrum, dentibus obtusis integris vel subramosis, tunc acutis, nonnullis confluentibus.

Ad ligna exsiccata semel inveni, longitudine spithamaea fere, sed tantum unc. 1 latum, glabrum, ambitu byssino ibique obsolete porosum.

Obs. Sequentes duo fungi, a Chailleteo humaniter communicati, affines sunt, nec tamen ut merae varietates considerari possunt.

3. *rude*, subiculo juniore subtomentoso gilvo, dein membranaceo opaco pallente, margine

gine sublibero, dentibus crassiusculis erectis subfasciculatis plerumque integris.

Crescit in ipso cortice quercus, uti videtur, forma suborbiculari, aetate praesertim juniore, tunc fere tomentosum et rugulosum, textura tamen stipata, dein coriaceum fit, in fissuras varias, exsiccando, dehiscens. Dentes rudi, magnitudine varii, subdistant, plures basi fasciculatim connati, subobtusi, conici.

4. *crustaceum*, subiculo tenuissimo membranaceo laevi nitido, margine subtomentoso, dentibus acutissimis sparsis plerumque integris.

Ad ligna muscosa quercina, quibus adnatum, dilatatum, ambitu tamen sinuatum, colore ligneo-pallenti, vel potius crustaceo (crustae panis) dilutiori tamen, nitenti. Dentes magnitudine inaequales, subobliqui, nec tamen decumbentes, basi sat lata cum subiculo confluent, rigidi nec incisi.

5. *glossoides*, subiculo membranaceo glabro tenui ligneo-pallido, dentibus longe distantibus ligulatis obscurioribus.

Hab. in Gallia, prope Abbeville, ad corticem quercinum (?) epidermide denudatum. *De Clermont.*

Species singularis, anomala, habitu quodammodo Theleph. *hydnoideae*, sed ab hoc fungo valde diversum puto. Dentes enim omnes aequales sunt, exceptis nonnullis minori-

bus, compressi et obtusi, glabri, sparsi, lineam plus minusve a se remoti. Color, uti in antecedente specie, qua cum etiam aliquam affinitatem habet, paullo tamen obscurior.

6. *fagineum*, sordide pallens glaberrimum, subiculo vix ullo, dentibus obliquis imbricato-connatis obtusis. — *Syn. fung. p.* 552.

Rarissime olim circa Gottingam, in trunco carioso Fagi *sylvaticae* inveni, quodque specimen adhuc conservavi. Ab aliis valde differt forma stalactitica, rudi, dentibus crassis, magnitudine variis, fasciculato connatis. — Sequens fungus a nostro discrepans omnino videtur.

* *epiphegum*, subeffusum glabrum albo-pallescens, aculeis confertis elongatis connato-fasciculatis integris. *Fries Syst. Mycol.* I. *p.* 423.

Ad ramos et truncos *Fagi*, in Suecia, frequens esse affirmatur. Subiculum primo orbiculare, dein confluens, late effusum, ramulos ambiens instar stalactitis, e floccis tomentosis dense contextum. *Fr.*

7. *molariforme*, longitudinaliter effusum glaberrimum, subiculo tenuissimo, dentibus majusculis obliquis, pluribus connato-fasciculatis, aliis solitariis subteretibus. *Tab.* XXII. *Fig.* I. *et lente aucta.*

Hab. prope Neuchatel, in cortice laevi quercino (?). Congeries aculeorum dentem mo-

laream, non male imitatur; hacce nota a ceteris facile dignoscitur, interea cum S. *laevigato*, *var.* δ. forsan confluit.

8. *Radula*, orbiculatum lacteum, margine subprominulo byssino, aculeis distantibus elongatis difformibus integris. *Fries Obs.* 2. *p.* 272.

Ad truncos *Betulae* passim. Subiculum primo tuberculiforme villosum, dein disco marginatum, nisi confluens. Aculei firmi, raro incisi, basi lutescunt. *Fr.*

9. *dermatodon*, membranaceum glabrum laete pallidum, dentibus compressis, basi latioribus, submembranaceis distantibus.

Hab. ad ligna exsiccata quercina. *Chaillet.*

Subiculum tenue, matrici toto adnatum, ubique glabrum, superficie dehiscens. Aculei parvi, subdistantes, plurimi compressi, aculeis *Ruborum* subsimiles; nonnulli tamen, praesertim laterales, teretes sunt, omnes acuti, glabri. Sequenti affine.

10. *laevigatum*, ochraceo-pallidum laeve glabrum subnitidum, aculeis elongatis variis.

α. *flexuosum*, effusum flavescens glabrum, siccum coriaceum, subulis sparsis flexuosis. *Ic. pictae fung. rar. p.* 15. *t.* 7. *f.* 1. sub Hydno.

In *Cerasi* vel *Pruni* cortice, quem arcte ambit.

β. *Amelanchieri*, dentibus confertis crassis majusculis, nonnullis obtusis. — *Chaillet.*

funiculare, elongatum, subulis confertis teretibus subturgidis, nonnullis incrassatis. — Hydnum flexuosum. *Schleicher.*

In ramo Mespili (Aroniae) *Amelanchieri*. L.

δ. *heterodon*, dilatatum, dentibus subdistantibus variis: aliis solitariis; aliis pectiniforme basi connatis, paucis subglobosis, aut sublamellosis.

Crescit, uti videtur, in cortice *Cerasi*. Colore laete ochraceum, margine dilutius; superficie rugoso-lacunosum (oculo inermi) apparet, ob situm dentium, qui sat robusti sunt; quorum plures cohaerentes, in alio individuo longitudinaliter, sed interrupte, lamellati sunt.

Obs. An Hydnum *Radula*, orbiculatum lacteum, margine subprominulo byssino, aculeis distantibus elongatis difformibus integris. *Fries Obs. Mycol. 2. p. 271.* huc quoque attinet? Color lacteus, et margo subiculi byssinus parum obstant.

11. *Leucoplaca*, ovale, dein confluens, lacteo-pallens, margine byssino, disco plicato, dentibus obsoletis dissimilibus glabris.

Sistotrema Cerasi. *Syn. fung. p. 552.?* Decand. *Flor. Gall. Suppl.* p. 36. Hydnum Cerasi.

Supra truncos Pruni *Cerasi* passim invenitur, initium, uti videtur, faciens, sub ip-

sis corticibus, e quorum rimis profluit! Forma indutum est sat grata; primo ovali aut orbiculata; dein plura individua in latas crustas confluunt. Versus ambitum obsolete venosum, a poris forsitan haud evolutis; in medio tuberculoso-gibbosum et ibi magis dentibus compressis acutis, nonnullis triangularibus, munitum.

Obs. Polyporo Cerasi. *Fries Obs.* 2. *p.* 16. (in cortice *Betulae albae*) valde cognata videtur haec species, sed nullos distinctos profert tubos seu poros, etiam nascens.

12. *carneum*, effusum submembranaceum rubescens, margine simplice, aculeis difformibus obliquis integris. *Fries Obs.* 2. *p.* 268.

Ad cortices *Fagi*, in Suecia. Junius subvenosum; difforme, glabrum, confluens, obscure incarnatum. Dentes maxime difformes, etc. *Fr.*

13. *obliquum*, effusum candidum, ambitu byssino, aculeis compressis aequalibus villosis. *Fries Syst.* 1. *p.* 424. *Schrad. Spicil. p.* 179. (Hydnum.)

Ligna incolit emortua *pinea*, aut ramos *betulinos* in Germania, Suecia.

Hymenium in juniore aetate poros acutos fere refert, sed in statu perfecto aculeos satis liberos, subtruncatos, incisos et villosos producit. Subiculum tenue, demum expallet

14. *spathulatum*, effusum candidum, aculeis

spathulatis subintegris, apice villosis. *Schrad. Spicil. p. 178. t. 4. f. 3. Fries Syst. I. p. 423.*

Inhabitat truncos praesertim abiegnos. Tenerum est et in ambitu adpressum, byssaceum, demum flavescit. Subulae plus minusve spathulatae, inaequales. *Consp.*

15. *cellare*, spadiceum subpulverulentum, subiculo tenui glabro, aculeis confertis crassis angulatis. *Syn. fung. p. 554.*

In cellis repertum. Dentes polygonii tubis deformatis, loco natali, ortum debere videntur, sed in adulto nulli pori, in ipso margine, adsunt. Subiculum fere obsoletum. Sequens fungus sub diu lectus, diversus?

β. *subflocatum*, album glabrum, subiculo tenui villoso molli subcinerascente, dentibus difformibus angulatis congestis.

S. *cellare*, var. *alba. Consp. fung. p. 264.*

Occurrit hinc inde, in lignis humidis obtectis et suffocatis, aestate et autumno.

16. *griseum*, totum glabrum caesio-cinereum, dentibus subdistantibus rectis breviusculis obtusis. *Tab. XX. Fig. 2.*

Inveni hanc speciem ad lignum quoddam exsiccatum, cui arcte adnata. Ad minores et rariores attinet. Color aliquando fusco cinereus, in margine, qui etiam est glaber, albidior vel dilutior. Dentes minuti, apice albescunt, sed glabri, nonnulli multoties sed breve-incisi.

** *Subiculo villoso.*

17. *squalidum*, majus villosum, aculeis confertis elongatis compressis acutis integris fuscescentibus. *Fries Syst. 1. p. 420.*

Ad cortices deciduos *Fagi*, in Suecia. Subrotundum, confluens, a matrice solubile, lutescens, margine album. Dentes juniores obtusi ac albido-villosi.

18. *abietinum*, incrustans tenue villosum, dentibus subfasciculatis erectis, tenuiter incisis, basi latioribus. *Tab. XXII. Fig. 3.*

Supra ipsos cortices *Pini Abietis* prope Neocomium, lectum mecumque communicatum a D. Chaillet.

Irregulare effusum pallens, in omni aetate strigoso-villosum, margine subfarinaceum. Aculei breves, nunc aggregati, nunc sparsi; alii integri, alii setaceo-incisi, omnes acuti.

19. *pinastri*, membranaceum flavescens, margine byssino albido, aculeis obliquis adnatis. *Fries Obs. Mycol. 1. p. 149.* (sub Hydno.)

Ligno *Pini* putrido laxe adhaeret, primo tomentosum, dein in medio glabrum. Aculei aequales, integri. *Fr.*

20. *candidum*, subiculo villoso laxo, dentibus sparsis compressis integris, aut subdigitato-incisis glabris pallidis.

S. candidum. *Xylodon* effusus tenuis, hypothallo fibroso-farinaceo tenuissimo arcte ad-

nato, margine lato byssino, dentibus subintegris glabris, versus marginem venosis. *Ehrenb. Sylv. Berolin. p. 30.*

Crescit in lignis Pineis hyeme asservatis. In latere hinc inde pori laceri sunt. Aliquando, crusta fere evanida, dentes soli persistunt. Hi firmi, majusculi, acuti aut obtusi, erecti, nonnulli tridentati, colore a subiculo diversi. Valde affine videtur S. *spathulato.*

21. *Barba - Jovis*, tomentosum pallide album, aculeis teretibus pubescentibus, apice aurantio - barbatis. *Fries Syst. I. p. 421.*

H. *Barba - Jobi*, coriaceum sessile membranaceum stramineo - rufidum, aculeis penicillatis. *Bull. Champ. I. p. 303. t. 481. f. 2. Sowerb. t. 328.*

Subiculum dicitur latitudine ultra pedale, et ex tomento tenuissimo contextum, primo albidum.

Obs. I. Fungillus hicce mihi valde dubius videtur, et forma aculeorum, qui potius fasciculum fibrillarum repraesentant, a ceteris nimis deflectit. Non possum non, quin addam, *Ozonium fulvum*, a D. Léré, qui in oppido Compiegne adhuc vivit, et quondam Bulliardi amicus fuerat, sub nomine H. *Barba - Jobi.* B. (forte ex errore) mihi transmissum fuisse.

Obs. II. Altera ex parte adducere etiam fas est, sequentem speciem (?) mihi datam fuisse a b. Thuillier, sub nomine H. *Barba Jo-*

vis. Bull., cujus aculei interea cum icone auctoris haud congruunt.

22. *laxum*, albido-pallens, subiculo strigoso-villoso, interdum compacto-farinaceo, subulis strigosis acutis incisis, nonnullis brevissimis obtusis.

Ad cortices *Betulae albae*, prope Fontainebleau, et Lilloae ad Salices vetustas lectum a Desmazieres.

Irregulare, sed non late (1-3 unc.) effusum. Subiculum, ubi textura est villosa, fere spongiosum est, hinc laxum, cortici et ligno tamen arcte adhaerens. Aut totum tomentosum, seu una alterave parte, inprimis ad marginem, glabrum et laeve, quo inter alia, a Sistotr. *abietino* differt. Aculei densi, majusculi, villo conjuncti, nonnulli integerrimi, alii, forte juniores, obtusi.

23. *plumosum*, lanuginosum totum niveum; subiculo tenerrimo, denticulis plumoso-penicillato divisis.

Rarissime ad terram, inter quisquilias, locis umbrosis, in Gallia, lectum. E longinquo byssum simplicem terrestrem crederes, haec vero lente illustrata affert conformationem elegantissimam, non minus quam, valde teneram; in superficie aculeorum genus profert, eadem tamen textura, qui plumulas aut penicilla imitantur, pauci interea teretes et integri sunt.

†† *Pileo distincto dimidiato, sessili, passim latere subeffuso.* (Polyporus *dolosus* cum synonymis. Hydnum occarium.)

24. *pendulum*, pileis imbricatis disco flavis, margine dentibusque compresso-laceris candidis. *Conspect. fung. p. 261. t. 6. fig. 7. Fries Syst. 1. p. 413.*

Hab. ad ligna, foco destinata, aut ad radices vetustas denudatas *Pini sylvestris*, autumno pluvioso, in Lusatia non infrequens. Pileus membranaceus, longitudinaliter plerumque plicatus, piloso-squamosus: squamis dense appressis, hinc superficies ruguloso-laeviuscula; e basi angustata substipitiformi, marginibus introflexis, pendulus; junior amoene flavus, demum sensim fuscescens; latitudine vix unciali. Subulae parcae, distantes, aliae, margine varie inciso, lamelliformes, aliae obtuse aculeatae. *Consp. l. c.*

* *conchatum*, minutum sparsum pallens, pileo subtriquetro ruguloso glabro, dentibus tumidis sublamellosis integris. — *Ehrenb. Sylv. p. 19, et 30.*

Pariter in lignis pineis vegetat. Ex comparatione speciminum, ab auctore missorum, patet, quod ab antecedente, cui a D. Friesio adscriptum, differat, parvitate, ultra dimidium minus est, colore, et dentium praecipue forma. Similitudinem aliquam habet, cum Merulio *crispo*.

25. *paleaceum*, subeffusum, pileo imbricato subtomentoso albo, dentibus subfoliaceis magnis ochraceo-pallidis.

Hydnum paleaceum. *Thore Chlor. d. Land. p. 492.*

Hab. prope Dax, in Gallia, ad truncos vetustos pineos incisos. Dentes profunde incisi, compressi, paleas in receptaculis plantarum compositarum imitantes. *Th.*

26. *violaceum*, plerumque longitudinaliter effusum, margine reflexo albicante, dentibus confertis compresso-laceris. *Syn. fung. p. 551.*

Agaricus decipiens. *Willd. Bot. Mag. Fasc. 4. p. 12. t. 2. f. 5.* An ejusd. Hydnum *rubicundum*, l. c. p. 13. t. 3. f. 6. huc accedit?

Boletus incarnatus. *Schum. Saell. p. 391.* Hydn. *parasiticum* Lin.

β. Sistotrema fusco-violaceum. *Ehrenb. Sylv. Berol. p. 30.*

(Idem fungus videtur, sed in statu vetustiore lectus.) Hydnum fusco-violaceum. *Fries Syst. Myc. I. p. 421.*

Solummodo crescere hactenus observatum in ligno fabrefacto pineo, supra quo plerumque in longitudinem fere spithamaeam est extensum, nec tamen, uti hoc in veris speciebus resupinatis obtinet, cum eo concrescit. Pilei subhorizontales et imbricati quoque evadunt in individuis, tunc multo minoribus. An

mera Polypori (Boleti) *abietini* varietas? uti putatur.

27. *cinereum*, simplex aut imbricatum, pileo dimidiato hirsuto subrufescente griseo, dentibus variis, primo porosis cinereis. *Syn. fung. p. 551.*

Boletus unicolor. *Bull. p. 365. t. 501. f. 9. Bolt. t. 163. Sowerb. t. 325.* (Color non bene adaequatus.)

Boleti suberosi, β. conchiformis. *Batsch. El. fung. Cont. 2. p. 121. t. 227.* (juvenilis).

Fungus sat vulgaris, praeamare videtur truncos *Hippocastani*, attamen in aliis provenit arboribus. In statu juniore omnino poriformis, sed tubi in adultis lacerantur et diversas assumunt formas, quarum major pars dentes et aculeos, plerumque obliquos efficit, sed in aliis individuis luxuriantibus etiam lamellae incompletae vel sinuli observantur, quare ab aliquibus haec species Daedaleis associatur. Nonnunquam in valde vetusto, hirsuties decidit, pileo tunc glabro et nigro.

β? *daedaleum*, sessile, pileo suberoso zonato tomentoso cinereo, sinulis angustis: aliis poriformibus, aliis longissimis flexuosis. *Fries Syst. 1. p. 336. Obs. 1. p. 105.* Daedalea cinerea.

Agaricus squamosus daedaleis sinubus cinereus. *Batarr. Fung. t. 38. f. 9.* Icon ab hoc auctore citata, vulgarem speciem bene reprae-

sentat, et nullum dubium est, quin illa in Italia, uti alibi, communis sit. Quodcunque sit, summam ob affinitatem, aut huic generi associanda, aut cum priore Daedaleis inserenda. Interea fateor, fungum suecicum mihi esse ignotum, qui sequente modo illustratur.

"Pilei imbricato-connati, numerosissimi, juniores interdum resupinati, flexiles, villosi, zonis latis elevatis, paucis subconcoloribus. Hymenium compactum ob sinulos perangustos, sed valde tortuosos et intricatos, qui cinerei albi, semper integerrimi."

* *lutescens*, pileo subtomentoso lutescente, poris seu sinulis oblongis, in ambitu pilei integris, in medio dentato-laceris.

Vidi hunc fungum prope Angers, in Gallia, collectum a D. *Guepin.* Magnitudine erat S. *cinerei*, cui non absimilis, sed colore aberrat. Denuo tamen indagari meretur, an species constans sit.

††† Heteroporus. *Pileo integro aut dimidiato, stipitato.*

(Species terrestres, plerumque magnae, involventes.)

28. *ferrugineum*, subdimidiatum ferrugineum, pileo tomentoso margine subtusque sulphureo-virescente, poris magnis difformibus laceris.

Boletus sistotremoides. *Consp. fung. p.* 243.

Hab. in Germania et Gallia ad terram, praesertim ad truncorum radices.

Pileus nonnunquam pedalis et ultra, saepe integer, infundibuliformis, tamen non raro etiam plus minusve dimidiatus et pleuropus, (qualis in speciminibus gallicis obtinet). Pori inaequales, pruina sulphurea, dein evanescente, obtecti, nonnulli flexuosi, simulque valde laceri et prorsus *sistotremoidei.* Stipes brevis et crassus, ferrugineus, interdum omnino nullus. *Consp.*

Obs. Huic respectu formae, substantiae, parum et coloris affinis est. Polyporus *tomentosus.* Fries Syst. 1. p. 351., sed poris, ex auctore, semper rotundis, obtusis et integris, differre videtur.

29. *laevigatum*, subparvum carnoso-coriaceum glabrum rufescenti-album, dentibus obliquis, nonnullis sublaminosis albicantibus, stipite brevi laterali.

Hab. ad truncos caesos in Gallia prope Poitiers. Junior linguae- vel spathulaeformis, adultus subrotundus fit, margine subrepando. Recenti in statu substantia magis carnosa est quam coriacea. Superficies nullis zonis, nec ulla hirsutie notata. Pori majusculi, jam in junioribus laceri, exceptis marginalibus. Stipes rufescens, glaber. Pileus dimidiatus, ultra 2 unc. latus.

30. *rufescens*, magnum coriaceum rufescens, pileo subinfundibuliformi hirto, poris lamelloso-laceris primo albidis, stipite subbrevi rugo-

rugoso. *Syn. fung. p. 550. Ic. pict. fung. Fasc. 1. p. 14. t. 6.*

Nascitur in sylvis frondosis, graminosis, ad terram. Pileus rugosus, zonatus, subdimidiato-infundibuliformis, latitudine palmari. Pori magni, pallent.

β. *flabelliforme*, magnum subsolitarium, pileo dimidiato subtomentoso rufescente, margine pallido, poris magnis albicantibus flaccidis, dentato-lamellosis laceris, nonnullis integris, stipite glabro subspadiceo.

Non valde raro occurrit autumno in sylvis ad pedes vetustorum truncorum, ramulis et culmis perfossus. Pileus flabelliforme dilatatus, margine hinc inde lacero subrepando, spithamam fere magnus. Stipes lateralis, brevis.

Obs. 1. Huic fungo praesertim *var.* α. valde affinis videtur quoad habitum et crescendi morem, Polyporus *laciniatus* (pag. 48). *Batarr. t. 32. f. B.*, sed autor dicit, suam speciem totam esse albidam et *minutis* foraminulis (poris) pertusam. Nec sequens, mihi incognita, valde distat, nec ut species distinguenda meretur.

* *bienne*, pileo cyathiformi crasso subferrugineo, tubis labyrinthiformibus cinereis, stipite lanato, pileo concolore. *Bull. champ. 1. p. 333. t. 449. f. 1.* Boletus biennis. — β. poris carneis. B. *biennis*, Sowerb. t. 190.

Obs. 11. Etiam huc spectare videtur Boletus *leucoporus.* Holmsk. Fung. Dan. vol. 2. t. 30. Nees Syst. 2. p. 56. t. 27. f. 213., nec ad Boletum *perennem, Linn.* pertinet, ut putatur.

31. *spadiceum*, magnum, pileo tomentoso subdepresso fere azono spadiceo, dentibus difformibus inaequalibus lutescentibus. *Syn. fung. p. 557. Ic. et Descr. fung. p. 34. t. 9. f. 1. sub Hydno. Swartz in Act. Suec. 1810. p. 228. Consp. fung. p. 267.*

Rarius occurrit in pinetis Germaniae et Sueciae. Maximis adnumerandum. Pileus suberosus. Stipes tumidus, brevis. Dentes alii regulares, subuliformes, alii praesertim externi, compressi sunt, obtusi, latere subinvoluti, nonnulli incisi.

32? *lusitanicum*, pileo suberoso depresso villoso fusco-fasciato, poris labyrinthiformibus fuscis, stipite crasso. *Fries Syst. 1. p. 332.* Daedalea maxima.

Boletus *maximus*, stipite crasso, pileo utrinque fusco villoso suborbiculari depresso: fasciis ex lateritio fuscis, poris decurrentibus labyrinthiformibus. *Brot. Flora Lusitanica, 2. p. 458.*

Hab. ad terram humosam pineti de Marrocos, prope Conimbricam. Pileus diametro plerumque pedali est. — Quoad porosam praesertim naturam, accuratius examinari et describi, omnino necesse erit.

33. *confluens*, gregarium parvum albicans, pileo carnoso flexuoso concrescente, dentibus decurrentibus albidis, stipite brevissimo. *Syn. fung. p. 551. Consp. fung. p. 260.*

Hydnum sublamellosum. *Sowerb. t. 112. Bull. t. 452. f. 1.*

Variis in Europae regionibus provenit, nullibi tamen communis species est; in sylvis acerosis et frondosis autumno reperitur seriatim aut circinnatim crescens. Pileus glaber, integer, aliquando dimidiatus, cum vicino plerumque connatus, unc. 1 latus. Stipes pro forma pilei, nunc centralis, nunc lateralis.

Obs. Sequens, nimis breviter descriptus fungillus, cum antecedente (cujus varietas?) melius, quam cum ulla Hydnorum specie convenit.

* *pusillum*, solitarium album, stipite brevi, pileo superne glabro compresso infundibuliformi, latere altero altiore (obliquo). *Brot. Lusit. 2. p. 470.* Hydnum.

Autumno in sylvis, prope Conimbricam, in Lusitania. Latitudine sesquiunciali. Auctor quaerit, an *var.* Hydni gelatinosi sit?

Restat, ut commemorem adhuc duo *Sistotremata* fodinalia, sed valde difformia, a Scopolio in *Dissert. ad Scient. Natural. p.*96., ut *Clavariae* descriptae et delineatae:

* *pulvinatum*, resupinatum convexum album, dentibus confertis erectis subregularibus.

  Clavaria echinata. *Scop. t.* 9. *f.* 2.

* *stalacticum*, resupinatum spongiosum, basi plicatum, dentibus marginalibus distantibus inaequalibus.

  Clavaria dentata. *Scop. t.* 9. *f.* 5.

ADDI-

ADDITAMENTVM.

Pag. 36. post Polyporum *arcularium*.

* P. *rhombiporus*, pileo integerrimo convexo lutescente: squamulis fuscis adpressis, margine strigosis, poris membranaceis compresso - rhomboideis albidis, stipite brevi subsquamuloso rufescente subfuligineo.

Prov. in Gallia meridionali ad truncos, aestate; de *Brondeau*.

Stipes ½ unc. altus, 2 - 3 lin. crassus, induratus, squamis fere obsoletis adpressis. Pori subdecurrunt, denticulati seu laceri (sub lente), in sicco oblongi, utrinque tamen attenuati, numerosi. Pileus unc. 1 et nonnullas lin. latus, non umbilicatus, ligneo - pallidus, squamis brunneis sparsis variegatus, margine vero subinvoluto, ibique villo rudi hirtus.

Obs. Forsitan idem est fungus, ac ille Michelii, mihi ceterum ignotus, sed fig. ab auctore data, habitum aliquatenus exprimens, poros sistit fere quadrangulares et multo majores, et hinc minori in copia (fere 30); de

squamis nulla mentio facta est; *vid.* Mich. Gen. pl. p. 130. t. 70. f. 5.

Pag. 38. post Polyporum *Juglandis.*

Hujus varietatem aut subspeciem pulchram, sero autumno (1824) ad truncum *Cytisi Laburni* languescentis inveni:

γ. *pictus*, magnus, pileo integerrimo umbilicato flavescente, squamis obscurioribus maculisque angulato-dentatis picto, poris mediocribus albis, stipite brevi fuligineo subexcentrico.

Boletus squamosus. *Sowerb. t. 266. fig. infima?*

Stipes tantummodo squamis nonnullis obsoletis fere tuberculiformibus instructus, satis crassus, tenax, sed non adscendens. Pori minus latiores sunt, ad dimidium fere, quam in specie vulgari. Pileus ultra spithamam latus, carnoso-coriaceus, odore peculiari, saltem non forti, haud distinctus.

Pag. 74. post Polyporum *contiguum.*

80^b. *plicatus*, parvus fusco-ferrugineus, pileo dimidiato azono glabro striato-plicato, poris minutis subinaequalibus.

Ad Salices? lectus circa Versalias a D. *Bard.*

Substantia tenuis, coriaceo-mollis, praesertim prope marginem pilei, qui ibi magis plicatus est (in sicco). Sub lente conspectus,

brevi-tomentosus est, ½ unc. latus, unc. 1 fere longus, subtus planus. Tubi 2 lin. fere longi: marginales poris inaequalibus distincti. P. *contiguus*, inferne subconcavus est: margine prominente et poris majusculis, hinc diversus.

Pag. 176. ante Hydnum *ochraceum*.

.. H. *dichroum*, parvulum, pileo subtomentoso zonato pallido, aculeis obscure carneis.

Hab. ad truncos cariosos quercuum. *Delastre*.

Species pulchella, nunc ad dimidium fere effusa et tunc simplex; plerumque vero subimbricata, et, basi porrecta, subtriquetra, substantia mollis, ½ unc. lata. Aculei valde regulares, pro fungi parvitate crassiusculi, nonnulli apice breviter incisi.

Pag. 179. post Hydnum *fragile*.

.. H. *setosum*, albidum, subiculo tenui glaberrimo, matrici arcte adnato, aculeis longis setiformibus rectis.

Investit ligni cariosi fissuras et lacunas, aculeis ut setulis porrectis. Hi sat longi sunt, sed tenues, rigidi, indivisi, pro ligni superficie, situ et directione varii. Subiculi pars infera et villosa colore est dilute citrino. Species intermedia est inter H. *macrodon* et *fragile* et communicata a D. *Graves*.

Pag. 188. post Hydnum *membranaceum*.

.. *proliferum*, subcarnosum aquose lutescens

(primo albidum?) subinterruptum, aculeis longis depressis rectis, basi connexis: his impositis aliis conglomeratis minutis divergentibus.

Ad truncos Populi *nigrae*, in Gallia meridion., detectum a D *Brondeau*.

Superficies hujus speciei (in specimine una cum icone benevole transmisso) est inaequalis, interrupto-tuberculosa, et ex solis aculeis deflexis parallelis fere composita. Praeter hos, per intervalla adsunt congeries minimorum, concolorum, sed undique divergentium, quos ad aliam speciem parasiticam pertinere diceres.

Pag. 204. post Sistotrema *cinereum*.

.. S. *glaberrimum*, effuso-reflexum, dentibus confertis elongatis deflexis pallidis, pileo angusto fusco-rufo glaberrimo.

Incolit rarius truncos Juglandinos, prope Viennam Gallorum. *Delastre*.


Pileus tenuis, subzonatus, 2 unc. latus, parum conspicuus. Dentes conferti, angusti, semitubulosi, acuti, sat longi. Magnitudine et habitu quodammodo est Polyp. *versicoloris* in specimine effuso.

COR-

CORRIGENDA.


Pag. 11. lin. 16. post p. adde 318.
— 11. — 5. ab inferiore loco totius, leg. talis.
— 16, — 9. post p. adde 57.
— 27. — 2. dele ?
— 54. — 13. ab infer. leg. segregari.
— 55. — 12. post t. add. XXIX.[a]
— 70. Polyporus *radiatus* Friesii, ut species omnino delendus est, nam idem videtur ac P. versicolor, γ. *ochraceus*.
— 70. lin. 16. loco β. pone 75.
— 74. — 15. ante *Cumini* pone 79[b].
— 109. — 18. loco quem, leg. queam.

Tab. XIII.



Poiteau pinx.


I. Sturm sc.



Poiteau pinx.

I. Sturm sc.

Tab. XV.




Poiteau pinx.

I. Sturm sc.

1



2



3





4





Poiteau pinx.

I. Sturm sc.



Poiteau pinx.

I. Sturm sc.

Tab. XVIII.


1


3


2




4


5

Poiteau pinx.   I. Sturm sc.



I. Sturm sc.



I. Sturm sc.

Tab. XXI.



I. Sturm sc.





1

2





3





Poiteau pinx.

I. Sturm sc.

Tab. XX.



I. Sturm sc.

Tab. XXI.



I. Sturm sc.



1



2





3





Poiteau pinx.

I. Sturm sc.

